

*Wolff David Technicus
Meyers comp. 10. 4k.
1679.*

~~B. VII. 19.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITTEBERG.
IV A 98
SIGNAT. CLVCCCXIII.



5
1
M. JACOBI THOMASII
Erotemata
RHETORICA
pro incipientibus.

Accesfit

pro adultis

Confilium de Locis Com-
munibus Eloqventiæ Studiofo
comparandis.

Editio Secunda Auctior & Cor-
rectior.

Cum Grat. & Privil. Elect. Saxon.



LIPSIÆ,

Sumptibus GEORGII HEINRICI FROMMANNI,

Literis JOHANNIS COLERI.

ANNO 1678.

M. JACOB THOMASII
ELOCUTORIA
RHETORICA
pro incipientibus
ORDINATA
pro adultis
Consilium de Locis Com-
munibus Elodvcentis studio
comparandis
Editio Secunda Auctior & Cor-
rectior
Cum Privilegio Elect. Saxon.



(4) A 98 (4)

Sammlung Georgii
LITH. 1721
LITH. 1721
LITH. 1721

101
FLORENTISSIMÆ
LIPSIENSIIUM
REIPUBLICÆ

DOMINIS

CONSULIBUS,

UNIVERSOQUE

ORDINI SENATA-
TORIO,

VIRIS

MAGNIFICA EXCELLENTIA,
NOBILISSIMA PROSAPIA,
DIGNITATE AMPLISSIMA,
PRUDENTIA CONSULTISSIMA
ILLUSTRIBUS,

PATRONIS SUIS,

Plurimorum in se suosq;

Beneficiorum memor

Erotemata hæc Rhe-
torica

dedicat

M. JACOBUS THOMASIUS, P.P.
Senatoriæ Scholæ Rector.



PRÆFATIO

AD LECTOREM.

Quoniam instrumentalium disciplinarum duo sint genera, unum, quo ratio, alterum, quo sermo noster informatur atque dirigitur: negari vix potest, hujus quam illius assequendi viam esse difficiliorum. Cujus quidem rei ratio non magnoperè latet in obscuro. Ipsa nobis natura vim intelligendi sic inseruit, ut eos quoque videamus, qui nullum habuerunt hac in re magistrum, modò illâ naturali, quam vocamus, Logicâ non illiberaliter instructi sint, judicio sic satis accurato tum vera deprehendere, tum nebulas fallaciarum discutere. Jam eadem natura linguam quidem nobis ita formavit, ut in sonos articulatos erum-

pe-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

pere possit : sed profectò non ut Logi-
ca nobis quædam , sic & Grammatica
est innata. Quicquid est lingvarum,
ne vernaculâ quidem exceptâ , audien-
do nobis, atque adeò non sine magistris.
ordinariè addiscendum est. Unde fit,
ut si quem surdum contingat nasci, is hu-
jus fortunæ quâdam necessitate simul
mutus evadat. Itaque rident cordati
Psammetichum Ægyptiorum Regem,
quem ferunt, quasi tot è lingvis una
quædam naturalis homini foret, atque
congenita, ut quænam illa esset, explo-
ratum haberet, procul ab hominum col-
loquio inter capras educari duos infan-
tes jussisse, horumque postea fonos ca-
prinos accepisse pro lingua primævâ.
Omnes in orbe toto lingvæ lege valent,
ac positione, non naturâ. Quæ res ma-
ximam quoque earum varietatem pepe-
rit, ut quot hunc mundum nationes in-
colunt, tot & lingvas habeamus. E di-
verlo argumentandi ars, eum vim
omnem suam naturæ debeat, per totum
genus humanum unica est : igni simi-
milis, qui non minus apud Græcos urit,
quàm penes Persas. Facite ea, quam dixi.

PRÆFATIO

ratio, ut unius etiam gentis eadem lingua temporibus mutatis & ipsa vices habeat suas adeò, ut sæpè quod ante seculum elegantia sermonis habeatur, id hodiè vocemus barbariem. Non æquè metuendum est nobis, ut aliquando legitimæ formæ syllogismi pro fallaciis habeantur aut solœcismis Logicis Nempe quæ robur suum naturæ debent, perpetua sunt; quæ hominum voluntati aut moribus, obnoxia mutationi. Atque ex his illud etiam consequitur, ut Logicam haurire omnem possis è præceptis universalibus; ad linguæ autem cujuslibet apprehensionem opus habeas non præceptis modò universalium regularum, sed observationibus quoque singularium vocabulorum propè infinitis. Amat enim natura constantiam atque unitatem; varietate ars humana & mutatione oblectatur. Singulorum in qualibet specie animalium eadem figura est, eadem conformatio membrorum; est enim horum artifex natura. At ædificiorum, vestium, eduliorum, quæ ab hominis arbitrio pendent, quàm miranda diversitas, quàm novæ propè singulis diebus

AD LECTOREM.

VI

ebus formæ ! Idem in his duabus artibus
evenire dixeris, quarum altera naturæ
constantiam intelligendis iis, quæ vera
sunt, imitatur; altera in enunciandis, quæ
mente comprehensa sunt, instabiles hu-
manæ voluntatis lusùs exprimit. Enim-
verò duæ sunt, ut ita loquar, linguæ:
quarum alterâ rerum natura utitur in
confitendis iis, quæ vera sunt; alteram,
quâ sensûs nostros cum aliis communi-
camus, ipsi nos parturivimus. Illa naturæ
lingua semper una est; unde &, quæ
mente concipimus, iisdem semper imagi-
nibus intellectum nostrum tingunt. At
non perinde sono eodem aures feriunt,
quæ intellectu nostro comprehensa cu-
pimus etiam aliis innotescere. Omitto
jam tot idiomatum varietatem. Una ea-
demq; lingua vel per sexcentas vocabu-
lorum formas rem eandem aperire po-
test. iii E quo intelligis, quæ de Gram-
maticâ dicta sunt à nobis hætenus, ad
Rhetoricam quoq; pertinere. Hæc enim
vel maximè docet eandem sententiam
commutatis verbis, quotiescunq; tulerit
usus, variare. Et est ea omninò ex ea-
rum genere disciplinarum, quæ oratio-



PRÆFATIO

011
nem instruere docent. Cujus rei cum præcipua vis in eo sit posita, ut imitemur, qui præclare antè nos dixerunt, imitatio verò omnis observatione singularium perficiatur maximè, quæ tantùm non infinita esse dictum est: quis non ex eo animadvertit, quàm operosum sit eloquentiæ studium? præsertim cum verè eloquentis personam sustinere non queat, qui ornatui verborum non didicerit ipsarum quoq; rerum pondera æquare. Ergò qui feliciter in Rhetoricis versari volet, eum non Grammaticæ tantùm operam navasse oportet, sed nec imperitum esse Logicæ. Ex adverso non perinde suppeditas Rhetoricæ postulat sibi Logica. Quæ cum ita sint, elaborandum omninò est Rhetoricæ Magistro, ut quantum fieri potest, artis suæ præcepta cogat in compendium, ea verò ubi discipulo instillaverit, longè plus temporis ponat in docendo tum observandi singula, tum imitandi artificio. Atq; ut observationibus hujusmodi subserviet consiliùm, quod his Erotematis adjunxi: sic in Erotematis ipsis exhibita præcepta ut comparerent, quàm brevissima, operã dedi tantò ma-

AD LECTOREM.

jorem, quòd hîc viderem peccari à plerisque, dum ea nimirû inferunt, quæ omitti absque ullo poterant incommodo. Quid enim necesse est adeò multa inculcari de genere judiciali, aut statibus illi propriis, cùm constet, totum illud genus, si quidem res è nostri seculi usu judicetur, ad Jurisconsultorum potius tribunalia spectare, quàm ad Auditoria Rhetorum? Nam quod in eo ita sudaverunt veteres, nimirum obsecuti sunt temporibus suis. Nostro ævo, ut didascalicum genus necesse fuit addi, quod prisca jure neglexerant, ita judiciale, si non amandari penitus, paucissimis certè lineis circumscribi consultum est omninò. Ac placuit hanc in rem in ipsis etiam Erotematis can. II. & III. quædam differere, ut si qui vel aliorum jam occupati disciplinâ in hunc nostrum libellum incidant, vel à nostris exorsi cum iis postea comparent passim vulgata, intelligant, non sine ratione nos aliquam hîc à communi Rhetoricam docentium consuetudine secessionem fecisse. Spero autem, quæ hîc monemus, talia fore, ut ne puerorum quidem captum, modò peritus Magister accesserit,

X
PRÆFATIO

effugiant. Porro cum animadverterem, fuisse nonnullos, qui veterum in hac arte præceptiones extenderent non modò ad aliena tempora, sed ad artis ipsius opera quoque alia, quàm oporteret; huic etiam malo remedium qualecunque circumspiciendù, saltem de eo discentes admonendos esse duxi. Hoc volo: quæ de causarum generibus, de partibus item orationis à priscis tradita non nisi ad orationes pertinent, ea ipsi epistolis quoque omnibus accommodanda censuerunt, ut singulas ad certum causæ genus revocarent, in singulis exordiù, narrationem, propositionem atque sic partes orationis alias venarentur. Dicas his evenisse, quod olim Scholasticis quibusdam. Nam ut illi, cum sibi persuasissent, nihil in logicis esse, nihil in physicis, nihil in metaphisicis, quod ex Aristotele disci non posset, eò, quòd velut inter articulos fidei philosophicos haberent, non esse mancum (sic loquebantur) Aristotelem in harum ullà disciplinarum, sæpè cogebant vel fidiculis admotis illud Aristotelem sentire, quod ipsi nunquam venerat in mentem: ita hi cum semel decrevis-

sent,

AD LECTOREM.

sent, nihil esse in arte rhetoricâ, quod è præceptis ab Aristotele, Cicerone, Fabio relictis haurire non liceret, quæ ipsi tantum in usum scribendæ orationis traderant, vi admotâ traxerunt etiam ad artificium exarandæ Epistola. Ac negari quidem non potest inservire multa, quæ pro orationibus edicta sunt, etiam ad epistolas: verum omnia his aptare, profectò est extrà limites vagari. Ergo ut hîc error caveretur, integro capite quarto subjicere quædam de epistolis, alioqui, ut opinor, haud inutilia volui, Ubi in ipsis quidem epistolarum partien- dis generibus meo rem arbitrato maximè gessi; in eo autem, quod negavi partes orationis in omnibus esse indagandas epistolis, Rochum Perusinum & Jacobum Pontanum quos sequerer, habuisse me dissimulandum non esse putavi. Quibus hîc etiam adjungo Muretum, præf. in Catilin. II. Ciceronis p. 434. indignan- tem iis, qui non modò in epistolis Cice- ronis, verum etiam in Comœdiis Teren- tii genus causæ & statum requirerent, Cæterum erit etiam fortasse, qui causam à me postulabit, cur capite statim primo, ubi

PRÆFATIO

XII

ubi de officio quæritur oratoris, à communi opinione declinaverim. Plerique omnes quinque hujus officii partes constituunt has: inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, & pronuntiationem. De memoriâ, celeberrimi Vossii judicium secutus, cujus vestigia non rarò hæc in arte pressi, tacendum putavi, non quòd eâ oratori, qui remotâ chartâ pronuntiare vellet, non sit opus, sed quòd illa tota memoriæ ars nec Rhetori se soli, sed omnibus eruditis, certâ ratione commendet, & peculiare constituat genus disciplinæ. Ita remanebant officii partes oratori quatuor. Et quinque tamen prodierunt mihi, cum decrevissem primam omnium facere *σύνεσις* seu intellectionem, quâ videlicet orator ante omnia sui thematis genus, & quæ huc spectant, investigat. Hanc partem recentiores omnes, quos quidem viderim, cum illâ inventionis confundunt, cum ab hæc separent tamen tum ratio, tum scriptores nonnulli veteres. Ratio: ut enim, si quod argumentum sub disputationem vocare placeat, aliud negotium est definire, ad quam illud facultatem aut di-

AD LECTOREM.


disciplinam referatur, aliud, probandi
media indagare: ita cum Rhetori mate-
ries offertur, alterius quaestionis est, cui
thematum ea generi subjiciatur, alterius,
quibus modis confirmetur. Scriptores
veteres duos nominare possum, Augu-
stinum (principio Rhetorices,) & Sulpi-
tium Victorem (in Instit. oratoriis.) Sed
verba solius posterioris adscribere suffe-
cerit. Sic ille: *Sunt, ut traditum
est tria* (oratoris officia,) *intellectio,
inventio, dispositio.* Etenim causa
proposita primum intelligere debe-
mus, cujusmodi causa sit, deinde in-
venire, quae apta sunt cause, tum
inventare recte & cum ratione dispo-
nere. Neque me hoc loco fugit, quae
M. Tullius tradat, de intellectu
enim nihil tradit, credo, quia magis
diligentiae atque sapientiae, quam
artis existimet. Inventionem autem
& dispositionem, & elucutio-
nem, & memoriam, & pronun-
tiationem ad officium oratoris
dicit

XIV
PRÆFATIO AD LECTOREM.

dicit pertinere. Sed nos à Græcis tradita, ut cœpimus, persequamur. Hæc præcipua sunt, de quibus tibi, Lector Benevole, fortasse alioqui consilium nostrum miraturo, reddendam rationem judicavi. Quod quidem prolixius poteram, nisi aliud svasisset Præfationi debita brevitatis. Tu interea his Erotematibus in rem tuam, in gloriam verò præcipuè DEI, utere!



INDEX



XV

INDEX CAPITUM.

Præcognita.

I. De Rhetoricæ naturâ. pag. 1.

Pars prima.

II. De generibus thematum. 2.

III. De discrimine Rhetoricæ veteris & recentioris circa genera causarum. 7.

IV. De generibus epistolarum. 10.

V. De statibus. 15.

VI. De circumstantiis. 17.

Pars secunda.

VII. De argumentis in genere. 18.

VIII. De λόγοις seu rationibus in specie. 20.

IX. De πάθει, seu affectibus in specie. 22.

X. De ἠθει, seu moribus in specie. 25.

XI. De accommodatione argumentorum ad certa genera causarum. 26.

Pars tertia.

XII. De dispositione partium orationis in genere. 30.

XIII. De exordio. *ibid.*

XIV. De narratione. 32.

XV. De propositione. *ibid.*

XVI. De confirmatione & confutatione 33.

XVII. De epilogo seu peroratione. 34.

XVIII. De dispositione argumentorum & argumentationum. 35.

Pars



INDEX.

XVI

Pars quarta,

- XIX. De elocutione in genere. 36.
XX. De elegantia verborum. 38.
XXI. De tropis. *ibid.*
XXII. De affectionibus troporum. 43.
XXIII. De figuris dictionis. 45.
XXIV. De figuris sententiae probatoriis. 49.
XXV. De figuris sententiae amplificatoriis. 51.
XXVI. De figuris sententiae affectuosis. 57.
XXVII. De figuris sententiae dispositionalibus. 60.
XXVIII. De compositione. 61.
XXIX. De tribus dicendi characteribus. 63.

Pars quinta,

- XXX. De pronuntiatione. 64.
*Consilium de Locis Communibus in usum
Studii Eloquentiae ex bonorum auto-
rum lectione comparandis. 66.
addito exemplo ex Epistolis Plinii. 79.*



NANUF



JUVANTE TRIUNO!
EROTEMATUM
RHETORICORUM
CAPUT I.

De Rhetoricæ Naturâ.

I.

Quid est Rhetorica? Est facultas in unaquâq;
re videndi, quid sit aptum ad persuadendum.

2. Quid hoc loco significat facultas? Artem con-
jecturalem, quæ ad utrumque oppositorum se
præparat.

3. Quot sunt partes Rhetoricæ? Totidem, quot
sunt officia Oratoris.

4. Quot ergò sunt officia Oratoris? Quinque
nimirum Intellectio, Inventio, Dispositio, Elocu-
tio & Pronunciatio.

5. Quomodo differunt hæ quinque partes? In-
tellectio, Inventio, Dispositio & Elocutio discun-
tur magis è libris: Pronunciatio verò è boni Ora-
toris exemplo vivo.

6. Quid est intellectio? Est officium Oratoris,
quo ipse ante omnia investigat atq, intelligit ge-
nus sui thematis, & quæ huc pertinent.

7. Quomodo græcè vocatur intellectio? Σύνεσις.

A

8. Quid

8. *Quid est Inventio?* Est officium oratoris, quo ille invenit argumenta suo themati apta.

9. *Quid est Dispositio?* Est officium oratoris, quo ille argumenta inventa rectè disponit juxta partes tum orationis Rhetoricæ, tum argumentationum.

10. *Quid est Elocutio?* Est officium oratoris, quo ille rebus inventis & dispositis verba etiam apta invenit & disponit.

11. *Quid est Pronunciatio?* Est officium oratoris, quo ille orationem suam verbis aptis constantem rectè pronunciat.

CAP. II.

Pars prima Rhetoricæ.

De Generibus Thematum.

1. *Quanam in re ponitur officium intellectiois?*
QIn investigatione thematis, & eorum, quæ ad illud pertinent.

2. *Quenam pertinent ad Thema?* Status & circumstantiæ, in primis personarum.

3. *Quotuplex est Thema?* Duplex: simplex & conjunctum.

4. *Da exemplum Thematis simplicis.* Academia. Ut si quis orationem scribere velit de Academicis.

5. *Da exemplum Thematis conjuncti.* An liberi sint mittendi in Scholas?

6. *Quid est Thema simplex?* Ad quod nihil respon-

responderi potest neque affirmando, neque negando.

7. *Quid est Thema conjunctum?* Ad quod responderi potest affirmativè vel negativè.

8. *Quomodo aliàs vocatur?* Quæstio.

9. *Quotuplex est Thema conjunctum, seu quæstio?* Duplex: finita & infinita.

10. *Quid est quæstio infinita?* Quæ caret finibus, i. e. circumstantiis.

11. *Quid est quæstio finita?* Quæ habet fines, i. e. circumstantias.

12. *Quarum rerum circumstantia hîc intelliguntur?* Personarum, Temporum, Locorum: præcipuè verò Personarum.

13. *Da exemplum quæstionis infinitæ.* An Pueri debeant mitti in scholas?

14. *Da exemplum quæstionis finitæ.* An à Cicerone Marcus filius, annos natus viginti, debeat mitti in Scholam Atheniensem?

15. *Ostende mihi in hoc exemplo circumstantias Personarum, temporis & loci.* Personæ sunt Cicero, & Marcus Filius; Tempus annus ætatis vigesimus; Locus Athenæ.

16. *Quomodo aliàs vocatur quæstio finita?* Causa?

17. *Quot sunt Genera Quæstionum finitarum, seu causarum?* Tria: Demonstrativum, Deliberativum & Judiciale.

18. *Quare non addis quartum Didascalicum?* Quia non versatur in causâ, seu quæstione finitâ,

tâ, sed quæstione infinitâ, vel etiam themate simplici.

19. *Ergone peccaverunt, qui quartum hoc genus addiderunt?* Non peccaverunt quidem, sed tamen abusi sunt vocabulo causæ contra Veterum consuetudinem.

20. *Quomodo?* Dum extenderunt illud ad significandas non modò quæstiones finitas, sed etiam infinitas & ipsa themata simplicia.

21. *Quid ergò est genus διδασκαλικόν?* Quod tractat Thema simplex vel Quæstionem infinitam.

22. *Quomodò latinè appellatur?* Doctrinale.

23. *Quid est Genus Demonstrativum?* Quod versatur in laudando vel vituperando.

24. *Quomodo aliàs vocatur latinè?* Laudativum.

25. *Quomodo gracè?* Ἐπιδεικτικόν, item ἐγκωμιαστικόν.

26. *Quid est Genus Deliberativum?* Quod versatur in svadendo vel dissvadendo.

27. *Quomodo aliàs vocatur latinè?* Svavorium.

28. *Quomodo gracè?* Συμβουλευτικόν.

29. *Quid est Genus Judiciale?* Quod versatur in accusando vel defendendo.

30. *Quomodo gracè appellatur?* Δικαστικόν.

31. *Da exemplum Orationis ex Genere Didascalico.* Talis est Oratio de pulmone, quæ legitur Tom. II. Declam. Phil. Melancht. p. 171.

32. *Da*

32. *Da exemplum Orationis ex Genere Demonstrativo.* Talis est Oratio Philipp. Melancht. de laudibus Aristotelis, quæ legitur Tom. II. Declam. p. 534.

33. *Da exemplum Orationis ex Genere Deliberativo.* Talis est Oratio Ciceronis pro lege Maniliâ, cum quæstio esset: An Pompejus bello Asiatico Imperator sit præficiendus?

34. *Da exemplum Orationis ex Genere Judiciali.* Talis est Oratio Ciceronis pro Milone, cum quæstio esset: an Clodius à servis Milonis jure sit interfectus?

35. *Quomodo distinguuntur illa tria causarum genera secundum differentias temporis?* Judiciale versatur semper circa præteritum; Deliberativum semper circa futurum; Demonstrativum verò quasi circa præsens.

36. *Quomodo præterea distinguuntur ex parte finis?* Finis in Genere Judiciali & Deliberativo est persuadere; in Demonstrativo verò incitare ad imitandum, vel etiam placere. (vide infra n. 52. 54.)

37. *Quot sunt Classes Materialium Generis Demonstrativi?* Duæ.

38. *Quenam?* Laudantur enim vel vituperantur aut personæ aut res (vide Rhenii Comp. P. 35.)

39. *Quare omittis facta?* Ob duas rationes.

40. *Quenam prior?* Quia & alibi sæpè personæ

sonæ & res, vel personale & reale, immediatè & absqve tertio opponuntur.

41. *Quid autem tunc nomine Rei intelligitur?* Quicquid non est persona.

42. *Quanam est posterior ratio?* Quia facta vel ad personas referri possunt, vel ad res: maximè tamen ad personas. (Confer Vossium lib.I, Instit. p.48. & 49.)

43. *Quomodo?* Qui enim laudat vel vituperat personam, argumenta petit vel ex variis bonorum malorumve generibus, vel ex aliquo facto singulari illius personæ.

44. *Da exemplum facti laudabilis.* Pugna Davidis cum Goliatho.

45. *Da exemplum facti vituperabilis.* Auctoria Saulis.

46. *Da exemplum Personæ laudabilis.* David, Cicero, Lutherus.

47. *Da exemplum Personæ vituperabilis.* Saul, Catilina, Tecelius.

48. *Da exemplum rei laudabilis.* Gratitude.

49. *Da exemplum rei vituperabilis.* Ingratitudo.

50. *Quid hîc prætereà notandum?* Alia facies fuit Generis Demonstrativi initiô sub Panegyristis; alia postea sub Sophistis.

51. *Quid ergò Panegyristæ?* Hi anniversariis laudationibus honorabant certas personas eorumve facta præclara, v. g. fortiter pro patria mortuos.

52. *Quem*

52. *Quem in finem?* Ut alii incitarentur ad celebrium virorum imitationem.

53. *Quid Sophistæ?* Hi coram populo vel in circulis jam laudabant, jam vituperabant modò personas, modò res, & ita quidem, ut sæpè rebus personisve, hominum communi opinione approbatis, laudem: damnatis vituperium detraherent, ut cùm alius Phalarim, alius febrim laudavit.

54. *Quem in finem?* Ut eloquentiam suam ostentarent, atque adeò hominibus placerent.

55. *Quid inde tandem?* Hi genus hoc, cùm initio esset quæstionis finitæ, paulatim traxerunt ad quæstiones etiam infinitas.

CAP. III.

De discrimine Rhetoricæ Veteris & recentioris circa Ge- nera Causarum.

1. **A** Ne eadem est veterum & recentium Rhetorum de tribus causarum Generibus doctrina? Non.

2. *Quid ergò interest?* Veteres ea (excepto certâ ratione Demonstrativo) restringebant ad solas quæstiones finitas; Recentiores autem iis complectuntur etiam infinitas.

3. *Quare Demonstrativum Genus certâ ratione excipis?* Quia Veteres Sophistæ laudabant etiam quædam absq; circumstantiis, ut febrim quartanam Phavorinus: ut paulò ante dictum cap. præc.

A 4

4. Utri

4. *Ultri nobis hinc magis sequendi sunt? Recentiores.*

5. *Quare? Quia ut veterum doctrina vetustis, sic recentium doctrina nostris temporibus est magis congrua.*

6. *Declara hoc luculentiùs. Magnum est discrimen inter vetera & nostra tempora, tum ex parte Auditorum, tum ex parte Causarum.*

7. *Quomodo ex parte Auditorum? Quia veteres Græci & Romani Rhetores perorabant præcipuè ad plebem; nostri verò ad eruditos.*

8. *Quare illi ad plebem? Quia versabantur in Rebuspubl. popularibus.*

9. *Quomodo ex parte Causarum? Quia illi præcipuè versabantur in genere Deliberativo & Judiciali ad solas quæstiones finitas restricto.*

10. *Quare? Quia in Rebuspublicis popularibus penes populum vel plebem est potestas deliberandi & judicandi.*

11. *Quid autem nostri? Hi magis versantur in genere Demonstrativo & quæstionibus infinitis, vel etiam simplicibus Thematibus.*

12. *Ubi verò? In orationibus Academicis, quæ habentur, v. g. apud nos in memoriis Electorum Saxonix: item cum gradûs Academici conferuntur, aut Professor aliquis munus suum auspiciatur, aut Studiosus exercitii gratia declamat.*

13. *Nonne igitur & in nostris Rebuspubl. sunt Deliberationes publicæ & Judicia publica? Sunt quidem, sed exercentur ab optimatibus, non à plebe.*

14. *Quid*

14. *Quid tum postea ?* Ergò Orator non tam affectibus movendis, quàm rationibus proferendis persuadabit.

15. *Quare?* Quia ut plebeji affectibus, sic Optimates rationibus magis ducuntur.

16. *Quid autem speciatim censes de Orationibus in genere Judiciali ?* Hæ apud nos planè conticescunt.

17. *Quare ?* Quia accusationes & defensiones ut plurimum scripto fiunt non vivâ voce : si autem vivâ voce, ex tempore potius quàm oratione memoriæ mandatâ.

18. *Quasi verò non & scripto possit aliquis esse eloquens.* Verùm apud nos plane aliud est scribere Orationem elegantem latinè, aliud patrocinari in foro seu agere causidicum.

19. *Quid ergò interest ?* Non necesse est Causidicum sic studere latinitati, ut illum alterum.

20. *Quare ?* Quia accusationes & defensiones fiunt in lingvâ vernaculâ.

21. *Quid porrò ?* Causidicus artem suam magis discet è libris Jureconsultorum, quàm è Rhetoricâ Rhenii aut Vossii.

22. *Quare ?* Quia & certæ sunt accusandi & defendendi formulæ apud nos, & certæ leges civiles: quorum neutrum docere nostris Rhetoribus est propositum.

23. *Quid ergò tandem colligis ?* Genus judiciale, quatenus in causis forensibus versatur, Jureconsultis relinquendum esse potius, quàm in eo

studandum Studioso Eloquentiæ: nisi fortè gratiâ exercitii veteres imitari velit.

24. *Ergò præcepta hujus generis prorsum eliminās ex Rhetoricâ hodiernâ?* Non velim hoc quidem, sed retinebo quædam in usum Epistolicum.

25. *Quare?* Quia præcepta Rhetorica diffundere utilitatem suam quodammodò possunt in artem scribendi Epistolas.

26. *Unde hoc?* Quia in Epistolis quoque sæpè spectamus eloquentiam oratoriam.

27. *Quid inde?* Factum inde est, ut quidam Epistolas non aliter, quàm orationes, dividerent, secundùm tria causarum genera.

28. *Quid de hac divisione censes?* Est angustior divisio.

29. *Quare?* Quia non comprehendit Epistolam Narratoriam & alias quasdam.

30. *Ergò planè divisionem istam rejicis?* Ne hoc quidem: sed velim tamen, antequàm ad eam perveniatur, alias quasdam divisiones præmitti.

31. *Quas?* Docebit hoc Caput sequens.

CAP. IV.

De Generibus Epistolarum.

1. **U***nde petendum est fundamentum dividendi Epistolas?* A confabulatione.

2. *Quare?* Quia Epistolæ ultro citroque missæ maximam habent similitudinem cum confabulatione.

3. *Quot*

3. *Quot sunt præcipuè divisiones Epistolarum?*
 Quatuor.

4. *Quanam?* (1) A materia, (2) ab adjuncto materiae, (3) à formâ, (4) ab adjuncto formæ.

5. *Quanam est prima Epistola divisio à materiâ?*
 Epistola vel est eruditis inter se propria, vel eruditis cum aliis hominibus communis.

6. *Declara hanc divisionem ex suo fundamento.*
 Similem enim in modum confabulationes aliæ sunt eruditis propriæ, aliæ ipsis cum aliis hominibus communes.

7. *Quanam confabulationes sunt eruditis propriæ?* Illæ, quæ instituuntur de rebus Theologicis, Juridicis, Medicis, Philosophicis, & Philologicis.

8. *Quanam confabulationes sunt eruditis cum aliis hominibus communes?* Eæ, in quibus narrant res novas, rogant aliquid, gratulantur, aut aliquid hujusmodi confabulantur.

9. *Quanam ergò Epistolæ sunt eruditis propriæ?*
 Disputatoriæ.

10. *Quotuplices sunt Disputatoriæ?* Quintuplices: Theologicæ, Juridicæ, Medicæ, Philosophicæ & Philologicæ.

11. *Quanam Epistolæ sunt eruditis cum aliis hominibus communes?* Reliquæ omnes.

12. *Quotuplices sunt illæ?* Valdè variæ, sed partitio earum institui potest utcunqve secundum tria Causarum genera.

13. *Quomodo?* Quædam reducuntur ad genus causæ

causæ Demonstrativum, quædam ad Deliberativum, quædam ad Judiciale, quædam ad nullum.

14. *Quenam ad genus Demonstrativum?* Laudatoria & Commendatitia.

15. *Quenam ad genus Deliberativum?* Petitoria, Adhortatoria, Dehortatoria, Consolatoria.

16. *Quenam ad genus Judiciale?* Expostulatoria, Excusatoria.

17. *Quenam ad nullum?* Narratoria, Lamentatoria.

18. *Quenam est altera divisio ab adjuncto materiae?* Epistola vel est pura, vel mixta.

19. *Quid est Epistola pura?* Quæ unum tantum argumentum tractat, v. g. quæ tota est commendatitia.

20. *Quid est Epistola mixta?* Quæ plura uno argumento tractat, e. g. quæ partim est commendatitia, partim gratulatoria.

21. *Declara hanc divisionem ex suo fundamento.* Similem in modum qui colloquuntur, vel de unico argumento, vel de pluribus agunt.

22. *Quenam est tertia Epistolæ divisio à formâ?* Epistola vel est inchoatoria, vel responsoria.

23. *Quid est Epistola inchoatoria?* Quam nos initium facimus scribendi.

24. *Quid Responsoria?* Quam inchoatoriæ respondemus.

25. *Quid verò, si eâdem epistolâ partim respondeamus, partim novum demus amico argumentum*
respon-

respondendi? Talis epistola vocabitur continua-
toria.

26. *Declara hanc divisionem ex suo fundamento.*
Similem in modum, cum homines colloquuntur,
necesse est alterum facere compellandi initium,
alterum respondere, atque sic porro continuari
colloquium.

27. *Quanam est quarta Epistola divisio ab ad-
iuncto forma?* Epistola vel est vulgaris, vel orato-
ria, sive λογοειδής.

28. *Quid est Epistola vulgaris?* Quæ scribitur
stylo vulgari & quotidiano, sive extempora-
neo.

29. *Quid est Epistola Oratoria seu λογοειδής?*
Quæ scribitur stylo minimè vulgari & extempo-
raneo, sed oratorio & præmeditato.

30. *Declara hanc divisionem ex suo fundamento.*
Similem in modum, cum aliis loquimur vel quic-
quid in buccam venit, & sine loquendi curâ, vel
præmeditatè & cum verborum aliquo delectu.

31. *Unde verò nascitur hoc nobis discrimen?* E
varietate partim personarum, ad quas loquimur
& scribimus, partim argumentorum, de quibus
loquimur vel scribimus.

32. *Quomodo è varietate personarum?* Ad fa-
miliarissimos, item ad inferiores utimur sermo-
ne extemporaneo; ad ignotos verò interdum,
item ad superiores loquendi quandam cautionem
& industriam adhibemus.

33. *Quomodo ex varietate argumentorum?*

In

In rebus non magni momenti quotidiano sermone utimur ; accuratiore verò in rebus gravioribus.

24. *Quot modis Epistola aliqua potest esse λογοειδής ?* Duobus modis : vel enim propter elocutionem accuratiorem tantum , ut ex haecenus dictis intelligi potest ; vel simul etiam propter dispositionem partium orationis Rhetoricæ.

25. *Quomodo propter dispositionem partium ?* Si habeat manifestum exordium, narrationem, propositionem, & ita partes alias in modum orationis dispositas.

26. *Da exemplum hujusmodi epistole.* Talis est Epistola M. Antonii Bonciarii ad Petrum Dinum p. 418. Editionis Marpurgensis, cujus initium : Scio me carpi &c.

27. *Ergò non omnes λογοειδής epistole habent sua exordia & alias partes orationis ?* Non habent.

28. *Quid igitur facies illis epistolice artis scriptoribus, qui in his omnibus partes istas investigare nos jubent ?* Nego audiendos illos esse, recteque statuo reprehendi eos à Rocho Perusino cap. IV. de scribendâ & rescribendâ Epistolâ p. 12. Itemque à Jacobo Pontano in scholiis ad illud caput, p. 17.

CAP. V.

De Statibus.

1. **Q**uomodo aliàs vocatur Status? Constitutio causa, item status controversiæ, cardo controversiæ.

2. *Habetne status locum in quolibet themate orationis vel Epistola?* Non habet locum in themate simplici, quâ tali, item in themate conjuncto, si de eo nulla sit controversia.

3. *Quare?* Oportet enim controversiam seu disceptationem esse, ut ipsum nomen status controversiæ innuit.

4. *Quid censes de illis, qui statum existimant non nisi in cause genere Judiciali habere locum?* Fateor quidem, quæ de statibus tradiderunt vetusti Rhetores, ea maximè ad Judiciale genus pertinere: sed propositum nobis esse debet, hanc doctrinam ita exequi, ut ad reliqua etiam genera, quatenus in iis controversiæ locus est, accommodari queant.

5. *Quid igitur est status?* Status est Quæstio, ex primo controvertentium partium conflictu proveniens.

6. *Da exemplum ex genere Judiciali.* Accusabatur Milo, quòd Clodium occidisset: fatebatur hoc Milo, sed agebat, jure se fecisse. Status ergò fuit: Jurane an injuriâ Clodium interemerit Milo.

7. Quo

7. *Quotuplex est status?* Quadruplex: conjecturalis, definitivus, qualitatis, & quantitatis.

8. *Quid est Status conjecturalis?* Cum de facto quidem constat, sed quis fecerit, quaeritur conjecturis.

9. *Da exemplum hujus Status.* Exemplum legitur lib. I. Regum Cap. 3. in causa duarum meretricum, ubi constabat quidem, infantem unum altero salvo fuisse noctu oppressum, sed utra oppressi, utra salvi mater esset, conjecturis erat quaerendum.

10. *Quid est status definitivus?* Quo quaeritur de vera definitione alicujus facti seu rei.

11. *Da exemplum hujus Status.* Libellum alterius abstulit alter in templo. Quaeritur an ablationi huic conveniat definitio sacrilegii, an furti simplicis?

12. *Quid est Status qualitatis?* Quo quaeritur, quale sit factum vel res?

13. *Da exemplum ex genere Judiciali.* An caedes Clodii sit justa an injusta?

14. *Da exemplum ex genere deliberativo.* An studere arti Chymicae sit utile an inutile?

15. *Quid est Status quantitatis?* Quo quaeritur, utrum e duobus sit majus vel melius?

16. *Da exemplum ex genere Judiciali.* Utrum Pilatus an Judaei crucifigentes Christum magis peccaverint?

17. *Da exemplum ex genere Deliberativo.* Utrum utilius sit mittere liberos in scholas publicas, an privatas?

18. *Da*

18. *Da exemplum ex genere demonstrativo.* Utrum Josephus an Susanna fuerit castior?

19. *Da exemplum ex genere didascalico.* Utrum secundæ an tertiæ figuræ syllogismus sit imperfectior?

20. *Quid prætereà de Statibus est notandum?* Fieri potest, ut in eadem Oratione plures sint Status, quàm unus: item, ut Status unus sit principalis, alter accessorius seu incidens.

21. *Quare?* Quia contingere potest, ut de re eadem plures sint controversiæ.

CAP. VI.

De Circumstantiis.

1. *Quot sunt circumstantiæ?* Tres: personarum, locorum, & temporum.

2. *Quenam verò ex his tribus circumstantiis est præcipua?* Circumstantia personarum.

3. *Quid est persona?* Est individuum substantiale intelligens.

4. *Quæ sunt præcipuæ divisiones personarum?* Quæ petuntur ex varietate sexûs, ætatis, dignitatis, fortunæ, generis vitæ, virtutis, affectuum, gentis, reipublicæ, religionum, relationum unius hominis ad alium.

5. *Quomodo distinguuntur persone ratione sexus?* In viros & foeminas.

6. *Quomodo distinguuntur persone ratione ætatis?* In pueros, juvenes, viros, & senes.

B

7. Quæ

7. *Quomodo ratione dignitatis?* In nobiles & plebejos, imperantes & subditos, &c.

8. *Quomodo ratione fortuna?* In divites & pauperes.

9. *Quomodo ratione generis vite?* In literatos & illiteratos, milites, mercatores, opifices, rusticos.

10. *Quomodo ratione virtutis seu morum?* In temperantes & intemperantes; fortes, audaces, timidos; mansuetos, lentos, iracundos, &c.

11. *Quomodo ratione affectuum?* In iratos & placidos, &c.

12. *Quomodo ratione gentis?* In Germanos, Italos, Gallos, Hispanos, &c.

13. *Quomodo ratione Reipublicae?* In cives Reipubl. Monarchicae, Aristocraticae & Democraticae.

14. *Quomodo ratione Religionis?* In Lutheranos, Calvinianos, Pontificios, &c.

15. *Quomodo ratione revelationum unius hominis ad alium?* (1) In notos & ignotos, (2) in amicos & inimicos, (3) in pares & impares. Impares autem sunt inferiores superioribus, & hi vicissim illis.



CAP. VII.

Pars secunda.

De Argumentis in genere.

1. **Q**uanam in re ponitur officium Inventionis? In investigatione argumentorum proposito themati aptorum.

2. Qua-

2. *Quanam argumenta sunt apta thematibus simplicibus? Quæ petuntur ex locis methodo juxta doctrinam logicam de methodo tractandorum thematum simplicium.*

3. *Quanam argumenta sunt apta thematibus conjunctis, & imprimis questionibus finitis? Ea, quæ Rhetores vocant λόγος seu rationes, ἦθη, seu mores, & πάθη seu affectus.*

4. *Estne de his tribus Argumentorum generibus eadem omnium Rhetorum doctrina? Non, sed discrepant partim circa vocabula, partim circa res ipsas.*

5. *Quomodo circa vocabula? Quidam solos λόγος vocant argumenta, ἦθησιν verò & πάθησιν imponunt nomina motuum, ut Rhenius; alii verò hæc tria omnia nuncupant argumenta, ut Vossius, & nos cum eo.*

6. *Quomodo circa res? Quidam præcipuum discrimen inter ἦθη & πάθη petunt à gradibus, ita scilicet, ut ἦθη sint affectus leniores, πάθη verò affectus vehementiores; alii verò, quibus & nos assentimur, præcipuum discrimen horum duorum quærent in personis.*

7. *Quomodo? ἦθη spectantur in personam dicentis orationem, seu scribentis epistolam: πάθη verò in personam audientis, seu ejus, ad quem scribitur.*

8. *Quid ergò sunt ἦθη; Sunt illi mores, qui ex ipsa dictione Oratoris vel Epistolographi elucet.*

9. *Da exempla.* Tale est ἡθ Θ benevolentiae, civilitatis, modestiae, severitatis, gravitatis & similia.

10. *Quid sunt πάθη?* Sunt illi affectus, quos vel concitare vel sedare volumus in animis audientium, vel eorum ad quos scribimus.

11. *Da exempla.* Tale est πάθ Θ laetitiae, tristitiae, confidentiae, timoris, irae, pudoris, & similia.

12. *Quomodo differunt λόγοι ἔ πάθη?* Λόγοι docent intellectum, πάθη verò movent voluntatem & appetitum.

13. *Nonne ἔ λόγοι movent voluntatem?* Movenent quidem, sed in primis tamen occupantur circa intellectum.

CAP. VIII.

De λόγοις seu rationibus
in specie.

1. *Quot sunt divisiones τῶν λόγων seu rationum?* Duæ.

2. *Quenam est prior divisio?* Λόγοι sunt vel communes, vel proprii.

3. *Quinam λόγοι vocantur communes?* Qui etiam in parte Topica Logicæ reperiuntur.

4. *Quinam λόγοι vocantur proprii?* Qui non reperiuntur in parte Topica Logicæ, sed tantum in Rhetoricis docentur.

5. *Da exemplum λόγων communium?* Λόγ Θ
ab

ab etymologia, à definitione, à causis, ab effectis, à toto, à partibus, à simili, à comparatis, ab opposito, ab autoritate, &c.

6. *Da exempla λόγων propriorum?* Λόγος à facili, à possibili, à necessario, ab utili, à glorioso, ab honesto, à jucundo, horumq; contrariis; item λόγος à legibus, à pactis &c. item λόγοι certis causarum generibus proprii, ut in genere Demonstrativo Λόγος à patriâ, à parentibus, ab educatione, &c.

7. *Quanam est altera divisio?* Λόγοι sunt vel artificiales vel inartificiales.

8. *Quinam λόγος est inartificialis in communibus?* Solus λόγος ab autoritate.

9. *Quinam λόγοι communes sunt artificiales?* Reliqui omnes.

10. *Quinam λόγοι sunt inartificiales in propriis?* Hi quinque, nempe λόγος à legibus, à testimoniis, à pactis, à quaestionibus, (per tormenta expressis,) à jurejurando. Et hi quidem maxime spectantur in genere judiciali, quod Jureconsultis relinquendum est.

11. *Quinam λόγοι proprii dicuntur artificiales?* Reliqui omnes.

12. *Quare λόγοι quidam appellantur artificiales?* Quia arte & ingenio opus habent non modò ad tractandum, sed etiam ad inveniendum.

13. *Quare λόγοι quidam appellantur inartificiales?* Quia quanquam arte & ingenio opus habent ad tractandum, non tamen opus habent

ad inveniendum, ut qui foris deferantur ad Oratorem.

CAP. IX.

De πάθεσι seu affectibus in specie.

1. **Q**uotuplices sunt affectus? Duplices: principales & minus principales.
2. Quot sunt affectus principales? Quatuor, seu duo paria.
3. Quodnam est primum par? Lætitia & tristitia.
4. Quodnam secundum? Fiducia & metus.
5. Quot sunt affectus minus principales seu reducti? Decem, vel quinque paria.
6. Quodnam est primum par? Ira & lenitas.
7. Quodnam secundum? Pudor & impudentia.
8. Quodnam tertium? Amor & odium.
9. Quodnam quartum? Indignatio & misericordia.
10. Quodnam quintum? Invidia & æmulatio.
11. Quid est lætitia seu gaudium? Est affectus circa bonum præsens.
12. Quid est tristitia seu dolor? Est affectus circa malum præsens.
13. Quid est fiducia? Est affectus circa bonum futurum.
14. Quid est metus sive timor? Est affectus circa malum futurum.

15. Quid

15. *Quid est ira?* Est dolor ex opinione injuriæ, conjunctus cum cupiditate vindictæ.

16. *Quid est lenitas?* Est affectus iræ contrarius.

17. *Quid est pudor seu verecundia?* Est metus infamiæ.

18. *Quid est impudentia?* Est affectus pudori contrarius.

19. *Quid est amor?* Est affectus, quo alicui optamus bona & eadem efficere studemus.

20. *Quid est odium?* Est affectus amori contrarius.

21. *Quid est indignatio?* Est dolor ob alterius secundam fortunam, quâ eum putamus indignum esse.

22. *Quid est misericordia?* Est dolor ob alterius adversam fortunam, quâ eum putamus indignum esse.

23. *Quid est invidia?* Est dolor ex alieno bono, quia id alius habeat.

24. *Quid est emulatio?* Est dolor ex alieno bono, quia nos eo careamus.

25. *Quid in singulis affectibus attendendum est?* Partim quomodo moveantur, partim quomodo sedentur.

26. *Quomodo movetur letitia?* Exaggerando bonum præsens, & proponendo auditoribus res lætas.

27. *Quomodo movetur tristitia & dolor?* Exaggerando melum præsens, & objiciendo auditoribus res tristes.

28. *Quomodo exaggeratur bonum vel malum presens?* Ex circumstantiis personarum, locorum & aliis.

29. *Quomodo movetur spes & fiducia?* Ostendendo, bonum aliquod effici posse.

30. *Unde hoc ostenditur?* Inde, quia aliàs factum fit sæpe, & quia suppetant auxilia tùm divina, tùm humana.

31. *Quomodo movetur metus seu timor?* Ostendendo, malum futurum esse magnum, & jamjam imminens.

32. *Quomodo movetur ira?* Ostendendo, facinoris commissi atrocitatem ratione præteriti, & damnositatem ratione futuri.

33. *Unde ostenditur atrocitas injuriæ?* Ex personæ læsæ innocentia, & lædentis malitiâ.

34. *Quomodo movetur lenitas?* Ostendendo, injuriam esse levem vel etiam planè nullam: item deprecando, aut pollicendo emendationem futuram.

35. *Quomodo movetur pudor?* Objiciendo ea, quæ factu sunt turpia, aut talium rerum signa.

36. *Quomodo movetur impudentia?* Ostendendo, turpitudinem illam non esse magnam aut planè nullam.

37. *Quomodo movetur amor personæ?* Ostendendo ejus benevolentiam, vel beneficia, aut alias virtutes.

38. *Quomodo movetur odium personæ?* Ostendendo malevolentiam ejus, vel malefacta, vel alia vitia.

39. Quo

39. *Quomodo movetur indignatio?* Ostendendo, indignum aliquem esse, qui tantis bonis fruatur, & comparando vitæ prioris inopiam cum præsentibus opibus aut dignitate.

40. *Quomodo movetur misericordia?* Ostendendo, indignum aliquem esse, qui tantis malis prematur, & comparando vitæ prioris felicitatem cum præsentem infelicitate.

41. *Quomodo movetur invidia?* Ostendendo, eum, qui bonum aliquod habet, non virtute sed vitiis emerfisse, aut insolentiùs eo bono uti.

42. *Quomodo movetur æmulatio?* Ostendendo, nos, qui caremus eò bonò, quod alius habet, esse pares alteri, vel non minus eò bonò dignos.

43. *Quomodo sedantur isti affectus omnes?* Modis contrariis, vel movendo affectùs contrarios.

CAP. X.

De ἠθροῖς seu Moribus
in specie.

1. **Q**uomodo vocatur oratio, in quâ sunt ἠθρῶν seu mores? Morata.

2. *Quomodo fit oratio morata?* Si Orator stylum ita moderetur, ut ex suâ oratione eluceat (1) prudentia, (2) probitas, (3) benevolentia versùs Auditores.

3. *Quomodo elucet prudentia?* Si differat ea, quæ sunt apta ad causam, unde intelligatur, eum rei, de quâ loquitur, peritum esse.

B 5

4. Quo.

4. *Quomodo elucet probitas?* Si ea loqvatur, unde excitare opinionem audientibus de se possit, quòd ipse sit homo justus, liberalis, mansuetus, fortis, temperans, & aliis virtutibus præditus, & à contrariis vitiis alienus.

5. *Quomodo elucet benevolentia?* Si non modò adhibeat ἠθῆ civilitatis, verùm etiam accommodet orationem suam ad ingenium suorum Auditorum, pro ipsorum diversitate.

6. *Quomodo hoc intelligis?* Si v. g. coram doctis ea loqvatur, quæ docti; coram militibus, quæ milites; coram pauperibus, quæ pauperes; coram divitibus, quæ divites; coram Germanis, quæ Germani; coram Italis, quæ Itali libenter audiant: & sic de cæteris.

7. *Unde autem discet, quid cuiq; hominum generi jucundum sit auditu?* E libris vel commentariis, qui de moribus ætatum, sexuum, nationum, Rerum publicarum &c. scripti sunt, unde Rhetores quidam transtulerunt in suos libros, ut Vossius.

CAP. XI.

De Accommodatione argumentorum ad certa genera causarum.

1. *Suntne omnia πᾶσι ἔ omnes λόγοι omnibus causarum generibus aqvè apti?* Non, sed alia argumenta maximè regnant in genere Demonstrativo, alia in Deliberativo, alia in Judiciali.

2. *Quæ-*

2. *Quenam πάθη maximè proposita sunt generi Demonstrativo?* Delectatio, reverentia, vel amor personæ laudatæ: detestatio vel odium personæ vituperatæ.

3. *Quenam πάθη maximè proposita sunt generi Deliberativo?* Fiducia vel metus.

4. *Quenam πάθη maximè proposita sunt generi Iudiciali?* Ira vel lenitas.

5. *Quomodo distinguuntur λόγοι, qui referuntur ad genus Demonstrativum?* Secundùm classes materialium in illo genere.

6. *Declara.* Alii enim referuntur ad laudem, vel vituperium personæ; alii ad laudem vel vituperium rei.

7. *Quotuplices sunt λόγοι, qui referuntur ad laudem vel vituperium personæ?* Duplices: aut enim argumenta petuntur ex variis bonorum malorumve generibus, aut ex aliquo facto singulari.

8. *Quot modis ex bonorum generibus?* Duobus: vel juxtà ordinem temporum, vel juxtà genera virtutum.

9. *Quomodo juxtà ordinem temporum?* Eo modo, qui usitatus est in curriculis vitarum.

10. *Quinam hîc sunt præcipui λόγοι?* Sequentes: (1) λόγος à genere seu parentibus: (2) à patriâ: (3) à naturâ tum corporis, tum animi: (4) ab educatione seu institutione: (5) à bonis animi, i. e. virtutibus tum intellectualibus, tum moralibus: (6) à bonis fortunæ, i. e. honoribus, dignitati-

tatibus, divitiis, conjugio, liberis, amicis, &c. (7) à morte & sepulturâ honestâ.

11. *Quomodo juxta genera virtutum?* Si ad certas classes virtutum omnis laudatio adstringatur.

12. *Quotuplicia sunt argumenta laudandi ex aliquo facto singulari?* Duplicia: probatoria & amplificatoria.

13. *Unde ducuntur probatoria?* (1) Ab honesto: (2) ab utili: (3) à difficili.

14. *Unde ducuntur amplificatoria?* Ex eo si quis quid fecerit: (1) primus: (2) solus: (3) cum paucis: (4) præcipuè: (5) tempore maximè necessario: (6) læpè: (7) tale quid, quod in primis pertineat ad laudem Civitatis: (8) eo eventu, ut inde primus novos honores acquisiverit.

15. *Unde ducuntur argumenta in laudatione rei?* (1) Ab honesto: (2) ab utili: (3) à difficili: (4) à necessario: (5) à jucundo.

16. *Unde ducuntur argumenta præcipua in genere Deliberativo ad suadendum?* (1) Ab utili: (2) à legitimo: (3) ab æquo seu pio: (4) à necessario: (5) à jucundo: (6) possibili: (7) à facili: (8) à glorioso: (9) ab eventu.

17. *Unde ducuntur argumenta præcipua in genere Deliberativo ad dissuadendum?* Ab horum contrariis.

18. *Quidnam vocatur utile?* Quo bonum aliquod nondum partum comparatur, vel partum conservatur: item, quo malum præsens depellitur, vel imminens evitatur.

19. *Quid*

19. *Quidnam vocatur legitimum?* Legibus consenaneum.

20. *Quidnam vocatur æquum & pium?* Quod promovet cultum divinum; quod spectat charitatem parentum, Civium; quod pertinet ad disciplinam civitatis; quod pertinet ad illustrationem virtutum.

21. *Quidnam vocatur gloriosum?* Quo gloria nondum parta comparatur, vel parta conservatur; quo item dedecus vel infamia præsens depellitur, aut imminens evitatur.

22. *Quomodo tractatur Argumentum ab eventu?* Ostendendo, quicumque eventus facti, quod invademus, fuerit, gloriam nos aut utilitatem inventuros.

23. *Quomodo distinguuntur argumenta ad genus Iudiciale præcipuè spectantia?* Juxta varietatem Statuum.

24. *Unde ducuntur argumenta artificialia in Statu conjecturali?* A voluntate & facultate.

25. *Quare?* Quia probabile est, id aliquem fecisse, quod facere voluit & potuit.

26. *Unde in Statu Definitivo?* A definitione.

27. *Unde maximè in Statu qualitatis?* A jure naturali vel civili; ab æquitate facti &c.

28. *Unde maximè in Statu quantitatis?* A magis vel minus justo, æquo, pio &c.



CAP. XII.

Pars tertia.

De Dispositione partium
Orationis in genere.

1. **Q** *Vanam in re ponitur officium dispositionis?*
In disponendis partibus, tum orationis rhetoricae, tum argumentationum.

2. *Quot sunt partes Orationis rhetoricae? Sex:*
(1) Exordium, (2) Narratio, (3) Propositio, (4) Confirmatio, (5) Confutatio, & (6) Epilogus.

3. *Da versiculum de his partibus sex.* Exorsus
Narro, Seco, Firmo, Refuto, Peroro.

4. *Nonne etiam quinque partes possunt constitui?*
Possunt, si confirmatio & confutatio uno contentionis nomine comprehendantur.

5. *Suntne omnes haec partes necessariae in Oratione?* Non, sed omitti quaedam possunt, ut exordium & epilogus; quaedam etiam Orationes narrationem plane refugiunt, ut quibus tractatur quaestio infinita.

CAP. XIII.

De Exordio.

1. **Q** *Quodnam est praecipuum officium Exordii?*
Praeparare Auditorem.

2. *Quomodo preparatur Auditor?* Reddendo eum benevolum, attentum & docilem.

3. *Quo-*

3. *Quomodo redditur imprimis benevolus?* Per
 777 Civilitatis.

4. *Quomodo redditur attentus?* Pollicendo nos
 de re magnâ, necessariâ, novâ, vel jucundâ di-
 cturos.

5. *Quomodo redditur docilis?* Generali com-
 prehensione, vel etiam, si opus est, distributione
 totius causæ, aut remotione eorum, de quibus di-
 cturi non sumus.

6. *Quotuplex est Exordium?* Duplex rectum &
 obliquum.

7. *Quid est Exordium rectum?* Quod nullâ cir-
 cuitione utitur.

8. *Quid est Exordium obliquum?* Quod utitur
 circuitione & tergiversatione.

9. *Ubinam utimur Exordio recto?* In causâ bo-
 nâ, & apud auditorem faventem.

10. *Ubinam utimur Exordio obliquo?* In causâ
 minus bonâ, & apud auditorem parum faven-
 tem.

11. *Quot sunt loci Exordiorum usitatissimi?* Qua-
 tuor.

12. *Quinam primus?* A generali pronunciato
 seu Chriâ.

13. *Quinam secundus?* Ab abundanti.

14. *Quomodo ab abundanti exordimur?* Cùm
 dicimus, rerum, de quibus Oratio haberi potue-
 rit, magnam fuisse nobis copiam, ex eâ id unum
 nos elegisse.

15. *Quinam tertius?* Ab occasione vel causâ im-
 pulsivâ.

16. *Qui-*

16. *Quinam quartus?* A circumstantiâ personarum, loci aut temporis.

CAP. XIV.

De Narratione.

1. **Q**uot modis sumitur vox Narrationis? Duobus modis: pro Narratione scilicet, vel continuâ, vel intercisâ.

2. *Quid est Narratio intercisâ?* Quæ amplificationibus, exaggerationibus & digressionibus interrumpitur.

3. *Quid est Narratio continua?* Quæ non interrumpitur.

4. *Quanam Narratio est hujus loci?* Continua.

5. *Quare non intercisâ?* Quia ea nihil aliud est, quàm contentio vel confirmatio in genere demonstrativo.

6. *Quodnam est officium Narrationis?* Rem, ut gesta est, à principio ad finem exponere.

7. *Quotnam præcipuè sunt partes Narrationis?* Tres: Rei gestæ nimirum principium, medium & finis.

8. *Quidnam refertur ad principium?* Causæ & consilia.

9. *Quidnam ad finem?* Eventus atque effectus.

CAP. XV.

De Propositione.

1. **Q**uodnam est officium Propositionis? Summam Orationis futuræ proponere.

2. *Quo-*

2. *Quotuplex est Propositio?* Duplex: aut enim unius est membri, aut multorum.

3. *Quid hic notandum prætereà?* Dari peculiarem quandam speciem propositionis, quæ vocatur *sejunctio*.

4. *Quid est sejunctio?* Propositio talis, quâ distingvimus ea, de quibus nobis cum adversario convenit, ab illis, quæ relinquantur in controversia.

CAP. XVI.

De Confirmatione &
Confutatione.

1. *Quodnam est officium Confirmationis?* Causam nostram argumentando astruere.

2. *Quodnam est officium Confutationis?* Argumentationes vel exceptiones adversarii refellere, aut eas quomodocunque declinare.

3. *Quot modis refelli aut declinari possunt argumenta adversa?* Quinq; modis: (1) per instantiam: (2) per retorsionem: (3) per contemptum: (4) per abductionem: (5) per interrogationem.

4. *Quomodo per instantiam?* Si ostendimus, propositionem adversarii, quam ipse universalem esse vult, (ea verò plerumque est major,) non esse universalem, prolato in oppositum exemplo uno aut pluribus.

5. *Quomodo per retorsionem?* Si argumentum ejus invertimus in contrarium.

6. *Da exemplum.* Opponat adversarius: qui
C sepe-

sepelivit occisum, interfecit : Tu sepelivisti : E. interfecisti. Retorquebo sic : Imò qui sepelivit occisum, non interfecit : Ego sepelivi : E. non interfeci.

7. *Quomodo per contemptum?* Si dicimus, argumentum adversarii nullius vel parvi roboris esse.

8. *Quomodo per abductionem?* Si Auditores aliò abducimus, polliciti nos postea responsuros.

9. *Quomodo per interrogationem?* Si utimur figurâ Rhetoricâ, cui nomen interrogatio.

10. *Da exemplum.* Cantando tu illum? apud Virgilium in Bucolicis Eclog. 3.

CAP. XVII.

De Epilogo seu Peroratione.

1. **Q**uomodo latinè vocatur Epilogus? Peroratio.

2. *Quodnam est officium Epilogi?* Claudere totam orationem ita, ut stimulus relinqvatur in animo Auditoris.

3. *Quomodo hoc fit?* Partim per ἀνακεφαλαίωσιν, partim per παρομοίαν.

4. *Quid est ἀνακεφαλαίωσις?* Repetitio potissimorum argumentorum.

5. *Quid est παρομοία?* Commotio affectuum.

CAP.

De Disputatione argumentorum & argumentationum.

1. **Q**uomodo disponuntur Argumenta juxta partes Orationis? Ἡ δὲ πρῶτη πρῶτον locum habent in Exordio; λόγοι in Contentione; πᾶσι in Epilogo.

2. *Quanam forma solet imponi λόγοις?* Forma argumentationis.

3. *Quot sunt species argumentationum præcipue?* Quatuor: nempe Syllogismus, Enthymema, Inductio & Exemplum. Quibus & alias adde, quæ in Logicis solent declarari.

4. *Quot sunt præcipue partes argumentationis cujusq.?* Duæ: nempe Conclusio & Præmissa, siue una, ut in Enthymemate, siue plures, ut in Syllogismo.

5. *Quotuplex est ordo disponendi partes argumentationum?* Duplex: naturalis & artificialis.

6. *Quis est ordo naturalis?* Qui solet observari in Logicâ.

7. *Quomodo?* Ut ponatur (1) Major, (2) Minor, (3) Conclusio.

8. *Quis est ordo artificialis?* Qui solet observari in Rhetoricis, & iterum multiplex est.

9. *Quomodo?* Si v. g. ponatur (1) Conclusio, (2) Minor, (3) Major. Vel (1) Minor, (2) Major, (3) Conclusio, &c.

10. *Semperne in Oratione servatur ordo artificialis?*

lis? Non, sed Orator interdum pro libitu retinet ordinem naturalem.

II. *Quid autem si præmissis addantur sue probationes?* Tunc ordo artificialis iterum variis modis potest institui, v. g. si ponatur 1. Conclusio, 2. Major, 3. Probatio Majoris, 4. Probatio Minoris, 5. Minor: vel etiam alia dispositio adhibeatur.

II. *Quid verò, si amplificationes etiam vel sola, vel cum probationibus, accedant?* Tum iterum nova se aperit ratio ordinem naturalem variandi.

13. *Da exemplum.* Ponam v. g. 1. Probationem Minoris, 2. Amplificationem ejus, 3. Minorem ipsam, 4. Majorem, 5. Amplificationem ejus, 6. Conclusionem.

14. *Quid hæc prætereà est notandum?* Conclusio interdum, (mutatis tamen verbis,) bis ponitur, semel ante præmissas, iterum post præmissas.

15. *Quo ordine ponuntur argumenta in contentione, si alia firmiora sint aliis?* Firmiora ponuntur partim in principio, partim in fine, imbecilliora verò in medio.



CAP. XIX.

Pars quarta.

De Elocutione in genere.

1. **Q**uotuplex est elocutio? Quadruplex potissimum, (1) Philosophica, (2) Historica, (3) Poëtica, (4) Oratoria.

2. *Quid*

2. *Quid est elocutio philosophica?* Quæ adhibetur in disputationibus.

3. *Quid est elocutio historica?* Quæ adhibetur in scribendis historiis.

4. *Quid est elocutio Poëtica?* Quæ adhibetur in carmine.

5. *Quid est elocutio Oratoria?* Quæ adhibetur in oratione, vel etiam epistolâ eleganti.

6. *Quanam elocutio est hujus loci?* Oratoria.

7. *Quanam in re ponitur officium elocutionis?* In verborum aptorum partim inventione, partim dispositione seu collocatione.

8. *Quid spectandum est circa inventionem verborum?* Elegantia eorum, & dignitas.

9. *Quid spectandum est circa collocationem verborum?* Compositio.

10. *Quanam in re consistit elegantia verborum?* In puritate, & perspicuitate.

11. *Quanam in re consistit dignitas verborum?* In tropis & schematibus.

12. *Quanam in re consistit compositio?* In juncturâ, ordine, periodo, & numerô.

13. *Quotuplicia sunt præcepta elocutionis?* Duplicia: generalia & specialia.

14. *Quanam præcepta sunt generalia?* Quæ valent in omnibus characteribus.

15. *Quanam præcepta sunt specialia?* Quæ cuique characteri sunt propria.

16. *Ubinam agetur de characteribus?* In capite ultimo hujus partis.

CAP. XX.

De Elegantia verborum.

1. **Q**uomodo aliàs dicitur puritas verborum?
Latinitas.

2. *Quidnam cavendum est circa puritatem? Ne utamur verbis barbaris, antiquatis, alterius lingvæ, vel obscænis.*

3. *Quidnam vocas verba barbara? Quibus contra consuetudinem optimæ ætatis usi sunt monachi potissimum in seculis barbaris.*

4. *Da exemplum talis vocabuli. Irremediabilis pro immedicabili.*

5. *Quidnam vocas verba antiquata? Quæ à vetustissimis quidem scriptoribus usurpata, rejecit tamen optima ætas.*

6. *Da exemplum. Topper pro citò.*

7. *Quidnam cavendum est circa perspicuitatem verborum? Hæc tria: 1. sermo ambiguus: 2. nimia brevitatis: 3. ordo verborum perturbatus.*

CAP. XXI.

De Tropis.

1. **Q**uot sunt tropi? Quatuor: (1) metaphora, (2) metonymia, (3) synecdoche, (4) ironia.

2. *Quomodo latinè dicitur metaphora? Translatio.*

3. *Quid est metaphora? Est tropus, cujus fundamentum est similitudo unius rei cum aliâ.*

4. *Da*

4. *Da exemplum metaphora.* Scrupulus pro sollicitudine. Lupus pro voraci.

5. *Unde ducuntur metaphora?* Ab omnibus generibus substantiarum, v. g. à DEO, à corporibus coelestibus, ab elementis, meteoris, lapidibus, metallis, plantis, homine.

6. *Unde porro ducuntur metaphora?* A rebus sensibilibus ad intelligibiles.

7. *Unde praeterea?* Ab intellectu ad voluntatem, & contrà.

8. *Quid est metonymia?* Est tropus, cujus fundamentum est respectus inter causam externam & effectum; inter subjectum & adjunctum; inter antecedens & consequens; & contrà.

9. *Quot ergò sunt species metonymia?* Sex: 1. metonymia causae externae pro effectu: 2. effectus pro causa: 3. subjecti pro adjuncto: 4. adjuncti pro subjecto: 5. antecedentis pro consequente: 6. consequentis pro antecedente.

10. *Quotuplex est metonymia causae externae?* Duplex: Causae efficientis & finalis.

11. *Cur non addis metonymiam materiae & formae?* Quia haec possunt referri ad synecdochen partis.

12. *Quare?* Quia materia & forma non modò sunt causae internae, sed etiam partes essentiales.

13. *Da exemplum metonymiae efficientis.* Virgilius pro scriptis Virgilii. Mars pro bello.

14. *Da exemplum metonymiae causae finalis.* Statuere exemplum, pro infligere poenam.

15. *Quotuplex est metonymia effecti?* Duplex: pro causâ efficiente, & finali.
16. *Da exemplum metonymia effecti pro causa efficiente.* Pallida mors.
17. *Da exemplū metonymia effecti pro causâ finali.* Serta legere, pro flores legere in usum sertorum.
18. *Quot modos præcipuè habet metonymia subiecti pro adjuncto?* Quatuor.
19. *Quinam est primus?* Cùm continens ponitur pro contento.
20. *Da exemplum.* Patera pro vino.
21. *Quinam est secundus modus?* Cùm possessor pro re possessâ ponitur.
22. *Da exemplum.* Ucalegon ardet, i. e. domus Ucalegontis.
23. *Quinam est tertius modus?* Cùm dux ponitur pro militibus, vel patronus pro cliente.
24. *Da exemplum.* Cæsar pro exercitu Cæsaris.
25. *Quinam quartus?* Cùm signatum ponitur pro signo.
26. *Da exemplum.* Lutherus pro Luthero p̄cto.
27. *Quot modos præcipuè habet metonymia adjuncti pro subiecto?* Tres.
28. *Quinam est primus?* Cùm contentum ponitur pro continente.
29. *Da exemplum.* Coronare vina, i. e. pateras.
30. *Quinam est secundus?* Cùm signum ponitur pro signato,

31. *Da*

31. *Da exemplum.* Sceptum pro imperio.

32. *Quinam tertius?* Cum tempus ponitur pro rebus in tempore.

33. *Da exemplum.* Seculum improbum, pro hominibus improbis.

34. *Da exemplum metonymiae antecedentis pro consequente.* Vixit, pro mortuus est.

35. *Da exemplum metonymiae consequentis pro antecedente.* Funus pro morte.

36. *Quid est synecdoche?* Est tropus, cujus fundamentum est respectus inter genus & speciem, item inter totum & partem, vel contra.

37. *Quotuplex est ergo synecdoche?* Quadruplex: (1) generis pro specie, (2) speciei pro genere, (3) totius pro parte, (4) partis pro toto.

38. *Da exemplum synecdoches generis pro specie.* Quadrupes pro equo.

39. *Da exemplum synecdoches speciei pro genere.* Aquilo pro quolibet vento.

40. *Quinam tropus hic refertur?* Antonomasia.

41. *Quotuplex est anatonomasia?* Duplex: appellativi pro proprio, & proprii pro appellativo.

42. *Da exemplum anatonomasiae appellativi pro proprio.* Poëta pro Virgilio.

43. *Da exemplum anatonomasiae proprii pro appellativo.* Irus pro paupere.

44. *Quare anatonomasia refertur ad synec-*

dochen generis vel speciei? Quia ut genus specie, sic appellativum proprio latius patet.

45. *Quotuplex est synecdoche totius pro parte? Duplex: totius essentialis, vel integralis.*

46. *Da exemplum de toto essentiali. Sustulerunt Dominum meum, i. e. Domini mei corpus.*

47. *Da exemplum de toto integrali. Bibere Xanthum, pro, partem aquæ ex Xantho.*

48. *Quotuplex est synecdoche partis pro toto? Itidem duplex: partis vel essentialis, vel integralis.*

49. *Quotuplex est synecdoche partis essentialis? Duplex: materiæ pro materiato, & formæ pro formato.*

50. *Da exemplum synecdoches materiæ pro materiato. Ferrum pro gladio.*

51. *Quomodo alii hunc tropum vocant? Metonymiam causæ materialis.*

52. *Da exemplum synecdoches formæ pro formato. Candida anima, pro homine candido.*

53. *Da exemplum synecdoches partis integralis pro toto. Puppis pro navi.*

54. *Quonam refers tropum, quò virtutes vel vitia in abstracto ponuntur, pro personis vitia vel virtutes habentibus? Ad synecdochen formæ pro formato.*

55. *Quare? Quia abstracta sunt formæ concretorum.*

56. *Da exemplum. Scelus pro homine scellesto.*

57. *Quò-*

57. *Quoniam alii referunt hunc tropum? Ad metonymiam adjuncti pro subiecto.*

58. *Quoniam refert tropum, quo pluralis pro singulari ponitur, vel contra? Ad synecdochen totius integralis, vel partis integralis.*

59. *Quare? Quia singularis est quasi pars integralis, comprehensa sub plurali tanquam toto.*

60. *Da exemplum pluralis pro singulari. Nos dicemus, pro ego dicam.*

61. *Da exemplum singularis pro plurali. Romanus vicit Gallum, pro, Romani vicerunt Gallos.*

62. *Quoniam refert tropum, quo certus numerus credibilis & verus ponitur pro incerto? Etiam ad synecdochen partis integralis pro toto.*

63. *Quid verò si numerus ille certus sit incredibilis, & propter magnitudinem falsus? Tum erit hyperbole.*

64. *Da exemplum. Sexcenta, i. e. plurima.*

65. *Quid est Ironia? Est tropus, cujus fundamentum est contrarietas.*

66. *Da exemplum. Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis.*

CAP. XXII.

De Affectationibus
troporum:

1. *Quot sunt affectationes troporum? Quatuor:
(1) meta-*

(1) metalepsis, (2) allegoria, (3) catachresis, (4) hyperbole.

2. *Quid est metalepsis?* Est tropus multiplex in voce unâ.

3. *Da exemplum.* Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

4. *Declara.* Post aliquot aristas, i. e. post aliquot annos.

5. *Ostende metalepsin in hoc exemplo.* (1) Aristæ ponuntur pro segetibus per synecdochen partis; (2) segetes pro æstatibus, per metonymiam signi; (3) æstates pro annis iterum per synecdochen partis.

6. *Quidnam circâ hoc exemplum observandum est?* Negant quidam, hîc esse metalepsin, & vocem aristas exponunt sensu proprio.

7. *Quid autem hîc censes?* Sentio, quicquid sit de illâ expositione, tolerari tamen posse exemplum.

8. *Quare?* Quia exemplorum non requiritur veritas.

9. *Quid est allegoria?* Est continuatio tropi unius in vocibus pluribus.

10. *Da exemplum.* Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.

11. *Declara.* Sensus est: Desinite canere, satis audivimus.

12. *Quinam tropus maximè solet continuari per allegoriam?* Metaphora.

13. *Unde deducta est metaphora in exemplo allato?* Ab irrigatione pratorum, 14. *Quid*

14. *Quid est catachresis?* Est tropi durties quædam.

15. *Da exemplum.* Eurus per Siculas equitavit undas: pro: flavit cum impetu.

16. *Quid est hyperbole?* Est intensio tropi, quæ superat fidem augendo vel minuendo.

17. *Da exempla.* Nive candidior: testudine tardior.

CAP. XXIII.

De figuris dictionis.

1. *Quomodo Schema latinè vocatur?* Figura.

2. *Quotuplicia sunt schemata seu figurae?*
Duplicia: dictionis & sententiæ.

3. *Quotuplicia sunt schemata dictionis?* Triplicia: consistunt enim quædam in defectu, quædam in excessu, quædam in repetitione vocis.

4. *Quanam figura consistit in defectu?* Ellipsis, cujus species est asyndeton.

5. *Quanam figura consistit in excessu?* Pleonasmus, cujus species est polysyndeton.

6. *Quid est ellipsis?* Cùm vox una vel plures deficiunt.

7. *Da exemplum.* Sed vos qui tandem? (supple estis.)

8. *Quid est asyndeton?* Est ellipsis conjunctionis copulativæ.

9. *Da exemplum.* Abiit, excessit, evasit, erupit.

10. *Quid est pleonasmus?* Cùm una vox pluresve abundant.

ii. Da.

11. *Da exemplum.* Vocem his auribus hausi, (Nam, his auribus, poterat omitti.)

12. *Quid est polysyndeton?* Est pleonasmus conjunctionis copulativæ.

13. *Da exemplum.* Me præ cæteris & colit, & observat, & diligit.

14. *Quotuplex est schema, quod consistit in repetitione vocis?* Duplex: Repetit enim vocem aut eandem, aut similem.

15. *Quot sunt Schemata quæ vocem eandem repetunt?* Tredecim: 1. synonymia, 2. exergasia, 3. antanaclasis, 4. ploce, 5. anaphora, 6. epistrophe, 7. symploce, 8. epanalepsis, 9. anadiplosis, 10. epánodos, 11. epizeuxis, 12. climax, 13. polyptoton.

16. *Quomodo conveniunt synonymia & exergasia?* Conveniunt in eo, quòd repetant vocem eandem non quidem sono & literis, sed sensu & significatione.

17. *Quomodo vicissim differunt?* Synonymia consistit in voce unâ, exergasia verò in pluribus.

18. *Da exemplum synonymiæ.* Promitto, recipioque spondeoque.

19. *Da exemplum exergasiæ.* Veterem consuetudinem fori, & pristinum morem judiciorum minimè vident.

20. *Quid est antanaclasis?* Cùm eadem vox in diversâ significatione repetitur, sic tamen, ut simul mutetur pars Orationis vel accidens partis.

21. *Da exemplum.* Amari jucundum est, si curetur ne quid insit amari.

22. *Quid*

22. *Quid est ploce?* Cùm eadem vox repetitur diverso sensu, sic tamen, ut non mutetur pars orationis vel accidens partis.

23. *Da exemplum.* Simia est Simia, etiamsi aurea gestet insignia.

24. *Quid est anaphora?* Est repetitio vocis ejusdem in principio commatum.

25. *Da exemplum.*

Te dulcis conjux, te solo in littore secum,
Te veniente die, te discedente canebat.

26. *Quid est epistrophe?* Est repetitio vocis ejusdem in fine commatum.

27. *Quomodo aliàs vocatur?* Epiphora.

28. *Da exemplum.* Poenos justitâ vicit, armis vicit, liberalitate vicit.

29. *Quid est symploce?* Est repetitio vocum eandem in principio & fine simul.

30. *Da exemplum.* Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem partem populi suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? Rullus.

31. *Quid est epanalepsis?* Est repetitio ejusdem vocis vel vocum in principio prioris, & fine posterioris commatis.

32. *Da exemplum.*

Qui bibit inde, furit. Procul hinc discedite,
queis est

Cura bonæ mentis; qui bibit, inde fuerit.

33. *Quid est anadiplosis?* Est repetitio ejusdem vocis in fine prioris & principio posterioris commatis.

34. *Da*

34. *Da exemplum.*

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum :
Astrum quo segetes gauderent.

35. *Quid est epanodos?* Est repetitio earundem
vorum ordine inverso.

36. *Da exemplum.* Gratiam qui refert habet, &
qui habet refert.

37. *Quid est epizeuxis?* Est repetitio immédia-
ta seu continua ejusdem vocis.

38. *Da exemplum.* Vidimus, vidimus gloriam
ejus.

39. *Quid est climax?* Est repetitio connectens
subinde sequentia præcedentibus.

40. *Quomodo latinè vocatur?* Gradatio.

41. *Da exemplum.* Africano industria virtu-
tem, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.

42. *Quid est polyptoton?* Est repetitio ejusdem
vocis in diverso casu.

43. *Da exemplum.* Littora littoribus contraria.

44. *Quot sunt schemata repetentia vocem simi-
lem?* Quinque 1. paronomasia, 2. parechesis,
3. homœoteuton, 4. homœoptoton, 5. pare-
gmenon.

45. *Quomodo conveniunt paronomasia & pa-
rechesis?* Utrumque schema repetit vocem simi-
lem.

46. *Quomodo vicissim differunt?* Similitudo
paronomasiæ est in tota voce, parecheseos verò
in unâ tantùm syllabâ aut paucis.

47. *Da*

47. *Da exemplum paronomasia.* Nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur.

48. *Da exemplum parecheseos.* Palla pallorem incutit.

49. *Quid est homœotelevton?* Cùm iterantur voces similes in ultimis syllabis.

50. *Da exemplum.* Ejus semper voluntatibus non modò cives assenserunt, hostes obedierunt, sed etiam venti tempestatesq; obsecundarunt.

51. *Quid est homœoptoton?* Cùm plura com-
mata iisdem casibus efferuntur.

52. *Quid hîc significat casus?* Terminationem diversam non in nominibus tantùm, sed etiam in verbis.

53. *Da exemplum.* Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem?

54. *Quid est paregmenon?* Est repetitio vocum similium ejusdem originis.

55. *Da exemplum.* Senex de senectute scripsi.

CAP. XXIV.

De figuris sententiæ
probatoriis.

1. *Quotuplices sunt figura sententiæ?* Quadru-
plices, (1) probatoriæ, (2) amplificatoriæ
(3) affectuosæ, & (4) dispositionales.

2. *Quid sunt figura probatoriæ?* Quæ inservi-
unt potissimùm probationi.

D

3. *Quid*

3. *Quid sunt figurae amplificatoriae?* Quae inserviunt potissimum amplificationi.

4. *Quid sunt figurae affectuosae?* Quae imprimis continent aliquem affectum.

5. *Quid sunt figurae dispositionales?* Quae dispositioni partium orationis inserviunt.

6. *Quot sunt figurae probatoriae?* Quinguae: (1) occupatio, (2) subjectio, (3) communicatio, (4) confessio, (5) concessio.

7. *Quid est occupatio?* Cum id, quod objicere posse putamus, anticipamus atque diluimus.

8. *Quot sunt partes occupationis?* Duae, obiectio & responsio.

9. *Quomodo graecè vocatur obiectio?* Ἰπποφωρεῖα.

10. *Quomodo graecè vocatur responsio?* Ἀντιπποφωρεῖα.

11. *Da exemplum talis obiectiois.* Verum anceps pugnae fuerat fortuna.

12. *Da exemplum responsionis.*

Fuisset:

Quem metui moritura? Virgil:

13. *Quid est subjectio?* Cum multa, quae objicere possunt, breviter & proponuntur & diluuntur.

14. *Da exemplum.* Male judicavit populus; at judicavit. Non debuit; at potuit. Non fero; at multi clarissimi & sapientissimi cives tulerunt. Cic.

15. *Quid est communicatio?* Quam adversarium aut iudices adhibemus in consilium.

16. *Da exemplum.* Quæso, si te hodie domum
tuam

tuam redeuntem coacti homines & armati non modò limine tectoq; ædium tuarum, sed primo aditu vestibuloq; prohibuerint, quid acturus sis? Cic. pro Cecinna.

17. *Quid est confessio?* Cùm aliquid totum ita concedimus adversario, ut causa nostra tamen salva sit.

18. *Da exemplum.* Jam id peccatum primum, magnum. Magnum, ac humanum; tamen fecere alii item boni. Terentius.

19. *Quid est concessio?* Cùm aliquam partem concedimus adversario, ut reliquum auferamus.

20. *Da exemplum.* Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis: At trahere, atq; moras tantis licet addere rebus.

CAP. XXV.

De figuris sententiæ amplificatoriis.

1. **U**nde ducuntur figure amplificatorie? Ex Locis Topicis.

2. *Ex quibus?* Ex Loco (1) à genere, (2) à speciebus aut partibus, (3) à causâ, (4) ab adjunctis, (5) à similibus, (6) à dissimilibus, (7) ab oppositis, (8) à locis quibusdam incertis.

3. *Quenam figure ducuntur à genere?* Gnome, noëma, & chria.

4. *Quid est gnome?* Gnome est generale pronuntiatum absq; accommodatione ad personam.

5. *Da exemplum.* Patria est, ubicunq; benè est.

6. *Quomodo latinè vocatur gnome?* Sententia.

7. *Quid est noëma?* Est generale pronunciatum cum accommodatione ad personam.

8. *Da exemplum.* Teucro patria erat, ubicunq; benè erat.

9. *Quid est chria?* Cùm Autor seu Scriptor adjungitur gnoma.

10. *Da exemplum.* Scriptor veteris comœdiæ Teucrum inducit loquentem: Patria est, ubicunq; benè est.

11. *Quodnam schema ducitur à speciebus aut partibus?* Distributio.

12. *Quomodo græcè vocatur distributio?* Μερισμός.

13. *Quid est distributio?* Cùm genus in species, aut totum in partes diducitur.

14. *Da exemplum.* Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus.

15. *Quodnam schema ducitur à causâ?* Αιτιολογία.

16. *Da exemplum.* Jure Archias fructum ex studiis meis repetit. Fuit enim mihi Autor ad hæc studia suscipienda. Cic. pro Archiâ.

17. *Quomodo autem vocatur hæc figura, si causa magis sit speciosa, quàm vera?* Color.

18. *Da exemplum.* Cùm Thraso apud Terentium videri vult prudenti consilio agere, quod agebat timore: omnia, inquit, prius consilio experiri, quàm armis, sapientem decet.

13. *Quod-*

19. *Quodnam schema ducitur ab adjunctis? Descriptio.*

20. *Quomodo græcè vocatur descriptio? Διατύπωσις vel ὑποτύπωσις.*

21. *Da exemplum.* Dicerò convivium luxuriosum sic describit: humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, & spinis cooperta piscium.

22. *Quenam schemata ducuntur ex loco similitum? Εἰκὼν, exemplum, comparatio & collatio.*

23. *Quomodo latinè vocatur εἰκὼν? Imago.*

24. *Quid est εἰκὼν, seu imago? Est assimilatio concisa, facta per vocem similis, velut, tanquam, instar, quasi, aut aliam hujus generis.*

25. *Da exemplum.* Johannes in morem aqvilæ suprâ coelestes orbes evehctus.

26. *Quomodo exemplum græcè vocatur? Παράδειγμα.*

27. *Quid est exemplum? Est rei gestæ vel tanquam gestæ ad aliquid persuadendum commemoratio.*

28. *Da exemplum.* Periculum est, ne quemadmodum Marii & Syllæ, ita Pompeji & Cæsaris dissidium laceret Rempubl.

29. *Quomodo aliàs vocatur comparatio? Similitudo, & græcè ὁμοιότης.*

30. *Quid est comparatio seu similitudo? Est assimilatio longior & perfectior quam imago, constans μετράσει & ἀποδόσει.*

31. *Da exemplum.* Ut sol unus omnibus lucet:

ita vox Præceptoris omnibus discipulis una sufficit.

32. *Quomodo græcè vocatur collatio?* Συμ-
βολή.

33. *Quid est collatio?* Quando substantiam cum substantiâ, aut accidens cum accidente conferimus, ut ex hâc oppositione pateat, quantumpe-
rè convenient aut differant.

34. *Da exemplum.* Conferte hanc pacem cum illo bello; hujus Prætoris cohortem impuram cum illius exercitu invicto; hujus libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui accepit, captas dicetis Syracusas.

35. *Quodnam schema ducitur à dissimili?* Dissimilitudo.

36. *Quid est dissimilitudo?* Est alicujus rei cum aliquâ dissimili contentio, ut ostendatur, qualis ea res non sit.

37. *Da exemplum.* Non quemadmodum equis vetulis teneros anteponere solemus: sic amici novi veteribus sunt anteponendi.

38. *Quenam schemata ducuntur ab oppositis?* Quatuor: (1) paradiastole, (2) antimetabole, (3) antitheton, (4) oxymoron.

39. *Quid est paradiastole?* Cum distinguuntur ea, quæ vulgò ob affinitatem confundi solent.

40. *Da exemplum,* Non fortis, sed audax. Non sapiens, sed astutus,

41. *Quid est antimetabole?* Quando est contra-

tra-

trarietas in sensu cum verborum inversione.

42. *Da exemplum.* Edere oportet ut vivas, non vivere ut edas.

43. *Quid est antitheton?* Ex contrariis constans oratio.

44. *Da exemplum.* Habet assentatio jucunda principia, exitus amarissimos.

45. *Quid est oxymoron?* Cum idem acutè quasi negatur de seipso.

46. *Da exemplum.* Insaniens sapientia.

47. *Quanam schemata ducuntur ex locis incertis?* (1) Digressio, (2) epiphonema, (3) auxesis, (4) tapinosis, (5) paralipsis, (6) incrementum, (7) periphrasis.

48. *Quid est digressio?* Est alicujus rei, quæ tamen ad utilitatem causæ pertineat, extra ordinem excurrens tractatio.

49. *Da exemplum.* Exemplum est in Ciceronis Verrinâ sextâ, ubi digressio est de raptu Proserpinæ.

50. *Quomodo vocatur formula, quâ ex hujusmodi digressionem revertimur ad propositum?* Epanodos, sed aliò sensu, quàm cum certam figuram dictionis significat.

51. *Da exemplum talis epanodi.* Sed ut eò revertatur, unde declinavit oratio.

52. *Quomodo epiphonema Latinè vocatur?* Acclamatio.

53. *Quid est epiphonema?* Cum rei narratæ aut probatæ ad finem additur pronunciatum aliquod.

54. *Da exemplum.* Adeò à teneris affuescere multum est!

55. *Quid est auxesis?* Cùm utimur verbò excedente rei magnitudinem.

56. *Da exemplum.* Scelus pro errato.

57. *Quid est tapinosis?* Cùm utimur verbo humiliore, quàm pro magnitudine rei.

58. *Da exemplum.* Erratum pro scelere.

59. *Quomodo aliàs dicitur tapinosis?* Μείωσις.

60. *Quid est paralipsis?* Cùm simulamus, nos aliquid relinquere aut omittere velle, quod tamen maximè dicimus.

61. *Da exemplum.* Nam de pueritiâ quidem tuâ, quam tu omni intemperantiâ addixisti, dicerem, si hoc tempore idoneum putarem: nunc consultò relinquo.

62. *Quomodo latinè vocatur paralipsis?* Præteritio.

63. *Quid est incrementum?* Cùm velut gradibus quibusdam ab infimo pervenitur ad summum.

64. *Da exemplum.* Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, propè parricidium, necare: quid dicam in crucem tollere?

65. *Quid est periphrasis?* Cùm multis utimur verbis, ubi potuissemus uno aut paucioribus.

66. *Da exemplum.* Romanæ eloquentiæ princeps, i. e. Cicero.

CAP. XXVI.

De figuris sententiæ
affectuosis.

1. **Q**uotuplices sunt figurae affectuosae? Dupli-
ces: generales & speciales.

2. *Quæ sunt figurae affectuosae generales? Quæ promiscuè adhiberi possunt in affectibus tam gratis quàm ingratiss.*

3. *Quanam sunt figurae affectuosae generales? Hæ octo: (1) exclamatio, (2) dubitatio, (3) correctio, (4) reticentia, (5) sermocinatio, (6) pro-
sopopœia, (7) apostrophe, (8) interrogatio.*

4. *Quid est exclamatio? Cùm affectum nostrum testamur per particulas exclamandi heu, proh, en, aut similes, sive expressas, sive subintellectas.*

5. *Da exemplum. O tempora! O mores!*

6. *Quid est dubitatio? Cùm dicimus, nescire nos, quid dicere aut agere debeamus.*

7. *Da exemplum. Eloqvar an fileam?*

8. *Quid est correctio? Quæ tollit id, quod dictum est & pro eo magis idoneum substituit.*

9. *Da exemplum. Filium unicum habeo; ah, quid dixi, habere me! imò habui.*

10. *Quomodo græcè dicitur correctio? Ἐπανόρθωσις.*

11. *Quid est reticentia? Cùm abrumpitur oratio.*

12. *Quomodo gracè vocatur?* Ἀποσιώπησις.

13. *Da exemplum.* Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.

14. *Quid est sermocinatio?* Cùm sermonem affingimus homini.

15. *Da exemplum.* Quid ad hæc Nævius? quid mihi, inquit, cum istâ summâ sanctimoniâ ac diligentia?

16. *Quid est profopopæia?* Cùm sermonem affingimus non homini.

17. *Quid intelligis per non hominem?* Bestiam, plantam, corpus inanimatum, animam hominis defuncti vel mortuum aliquem.

18. *Da exemplum.* Exemplum est in Catilinariâ Ciceronis, ubi Cicero inducit Patriam loquentem cum Catilinâ.

19. *Quid est apostrophe?* Cùm alloquimur eos (sive personæ sint, sive non sint,) qui non sunt Auditores.

20. *Da exemplum.* Vos enim jam ego, Albani tumuli atq; luci, vos, inquam, imploro atq; obtestor.

21. *Quid est interrogatio?* Cùm interrogando ea significamus, quæ poteramus absq; interrogatione dicere.

22. *Da exemplum.*

Nonne ego te vidi Damonis, pessime, caprum.

Excipere insidiis?

23. *Quotuplices sunt figurae affectuosa speciales?*

Tri-

Triplices: aut enim insinuant affectum gratum, aut ingratum, aut medium.

24. *Quanam figura insinuat affectum gratum?*
Pæanismus.

25. *Quid est pæanismus?* Est figura affectum lætitiæ insinuans.

26. *Da exemplum.* Vivamus, mea Lesbia, atq; amemus!

27. *Quanam insinuant affectum ingratum?*
Duæ: execratio & irrisio.

28. *Quid est execratio?* Est figura insinuans affectum odii extremi.

29. *Da exemplum.* Dii isti malefaciant!

30. *Quot sunt species irrisionis?* Quinqve: (1) sarcasmus, (2) diasyrmus, (3) asteismus, (4) charientismus, (5) mimesis.

31. *Quid est sarcasmus?* Est hostilis irrisio super jam mortuo aut morituro.

32. *Da exemplum.* Ave Rex Judæorum! (in historiâ Passionis.)

33. *Quid est diasyrmus?* Est inimica irrisio, sed extra cædem.

34. *Da exemplum.* Asinus ad lyram.

35. *Quid est asteismus?* Est jocus facetus cum irrisione minus inimicâ.

36. *Da exemplum.* Tale est illud Ciceronis, parvam Lentuli generi sui staturam irridentis; Quis generum meum ad gladium alligavit?

37. *Quid est charientismus?* Cùm dira & aspera dicta gratiosis aut mollibus verbis mitigantur.

38. *Da*

38. *Da exemplum.* Tale est apud Terentium, cum Davus pristinum deprecans ait: Bona verba quaeso.

39. *Quid est mimesis?* Cum aliena verba oratione recta referimus irridendi gratia.

40. *Da exemplum.* Tale est illud Psalmi 2. Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis retia eorum.

41. *Quanam figure insinuant affectum medium?* Hæ tres: (1) obsecratio, (2) admiratio, (3) votum.

42. *Da exemplum obsecrationis.* Quod te per superos oro.

43. *Da exemplum admirationis.* O elegantiam admirabilem!

44. *Da exemplum voti.* O utinam lapsos referat mihi Jupiter annos!

CAP. XXVII.

De figuris sententiæ
dispositionalibus.

1. **Q**uot sunt figure disposicionales? Tres: (1) transitio, (2) rejectio, (3) revocatio.

2. *Quid est transitio?* Cum ab eo, quod diximus, progredimur ad aliud, quod dicendum superest.

3. *Da exemplum.* Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Cicero.

4. *Quid est rejectio?* Cum aliquid in alium locum vel tempus rejicimus.

5. *Da exemplum.* Sed de Lucullo dicam alio loco.

6. *Quid*

6. *Quid est revocatio?* Cùm, quia longiores aliqua in re fuerimus, orationem ad principium revocamus.

7. *Da exemplum.* Sed nimis multa hac de re: quare in gyrum contraham orationem.

CAP. XXVIII.

De Compositione.

1. *Quid est compositio?* Est idonea verborum structura.

2. *Quanam in respectu atur compositio?* In his quatuor: (1) juncturâ verborum, (2) ordine, (3) periodo, (4) numero.

3. *Quanam precipuè cavenda sunt circa juncturam?* Tria.

4. *Quodnam est primum?* Hiatus.

5. *Quid est hiatus?* Crebra vocalium concursio.

6. *Quodnam est secundum?* Ejusdem literæ vel syllabæ continua frequentatio.

7. *Quodnam est tertium?* Plurium syllabarum, vel brevium, vel longarum longa continuatio.

8. *Quanam precipuè sunt cavenda circa ordinem verborum?* Duo.

9. *Quodnam est prius?* Ne inconcinna fiat verborum trajectio.

10. *Quodnam est posterius?* Ne leviora gravioribus proponantur, aut minùs digna dignioribus, aut naturaliter consequentia præcedentibus.

11. *De.*

11. *Declara hoc per exemplum.* Potius dicam : viros ac foeminas, diem ac noctem : quàm ordine inverfo, foeminas ac viros, noctem & diem.

12. *Quid est periodus?* Est oratio perficiens integram sententiam, quæque ideò puncto solet claudi.

13. *Quotuplex est periodus?* Duplex : simplex & composita.

14. *Quid est periodus simplex?* Quæ nullis commatibus aut colis constat, sed unico membro absolvitur.

15. *Quid est periodus composita?* Quæ duobus aut pluribus membris seu partibus constat.

16. *Quotuplices sunt partes periodi compositæ?* Duplices : commata & cola.

17. *Quid est comma?* Est pars minor periodi, cujus finis virgulâ curvâ notari solet.

18. *Quid est colon?* Est pars major periodi, cujus finis duobus punctis notari solet. Quòd si virgulâ & puncto notetur, vocatur semicolon.

19. *Quot circa numerum oratorium præcipuè notari debent?* Duo.

20. *Quodnam est prius?* Numerus oratorius distingvendus est à numero poëtico.

21. *Quodnam posterius?* Numerus oratorius discitur maximè ordinem artificialem commutando in naturalem, & observationes inde colligendo.

CAP. XXIX.

De tribus dicendi
characteribus.

1. **Q**uot sunt characteres dicendi? Tres: magnificus, humilis, & mediocris.
2. *Quomodo aliàs vocatur character magnificus?* Sublimis, item grandis.
3. *Quomodo aliàs vocatur character humilis?* Tenuis.
4. *Quomodo aliàs vocatur character mediocris?* Medius, item æquabilis.
5. *Ubinam locum habet character magnificus?* In rebus magnis, quales sunt de DEO, de Republicâ, item heroicæ ac tragicæ.
6. *Ubinam locum habet character humilis?* In rebus tenuibus, atq; adeò convenit epistolis familiaribus.
7. *Ubinam locum habet character mediocris?* In rebus mediis, ut in disputationibus ornatè conscriptis.
8. *Qualia verba adhibet character magnificus?* Gravia & sublimia.
9. *Qualia verba adhibet character humilis?* Verba maximè propria.
10. *Ergò character humilis non adhibet tropos?* Adhibet, sed parcè & metaphoras ducit à rebus humilibus, v.g. à terrâ, ab agriculturâ.
11. *Unde verò metaphoras ducit character magnificus?* A rebus grandibus, puta à cœlestibus.

12. *An etiam figuris utitur character humilis?* Utitur quidem, sed similiter admodum parcè, imprimis autem rarò adhibet schemata sententiarum.


13. *Quales verò figuræ imprimis decent characterem magnificum?* Affectuosæ, ut exclamatio, prosopopœia, apostrophe.

14. *Qualis est forma characteris mediæ?* Sublimi characterem humilior, & humili sublimior.

15. *Quodnam vitium caveri debet præcipuè in characterem magnifico?* Stylus turgidus, inflatus, insolentiâ horridus.

16. *Quodnam vitium caveri debet præcipuè in characterem humili?* Stylus neglectu nimio jejunus & exangvis.

17. *Quodnam vitium caveri debet præcipuè in characterem mediocri?* Stylus fluctuans & incertus, i. e. nunc sublimitatem, nunc humilitatem affectans.



CAP. XXX.

Pars quinta & ultima,
De Pronunciatione.

1. *Quomodo aliàs vocatur pronuntiatio?* Actio, & græcè *ὑπόθεσις*.

2. *Quid est pronuntiatio?* Vocis gestuumque pro rebus & verbis apta conformatio,

3. Un-

3. Unde disci maxime potest pronuntiatio? Disci magis potest è vivis exemplis, quam præceptis mutis.

4. Quotuplicia tamen sunt præcepta hujus officii? Duplicia: quædam ad vocem, quædam ad corpus pertinent.

5. Quotnam præcipua sunt de voce præcepta generalia? Tria.

6. Quodnam est primum? Vox sit clara.

7. Quodnam est secundum? Vox ne sit nimis præceps.

8. Quodnam est tertium? Vox sit varia.

9. Quenam vitia opponuntur voci varia? Duo: unum in defectu, monotonia; alterum in excessu, cantillatio.

10. Quid est monotonia? Cum eodem tono tota oratio pronuncietur.

11. Quid est cantillatio? Cum ita pronuncietur oratio, quasi cantaretur secundum puncta musica.

12. Da præceptum generale de corpore. Status universi corporis sit erectus & celsus.



E CON-

CONSILIUM
De Locis Communibus in
usum Studii eloquentiæ ex bono-
rum Autorum Lectione comparan-
dis : addito exemplo ex Epistolis
Plinii.

1. **C**um tria sint in scribendo præcipua hominis eloquentis officia, inventio, dispositio, & elocutio: consilium, quod hîc meditatur, ad solam elocutionem pertinebit. Nam inventioni & dispositioni alia comparanda sunt media, quæ hîc non tangimus. Sed inserviet tamen formularum liber, quem in hoc consilio mox tertium faciemus, quodammodò & inventioni per ea, quæ dicemus n. 50.

2. Omne autem consilium nostrum in conficiendis occupabitur Locis communibus. Ejusmodi locos intellige, qui maximè ad comparandam dirigantur eloquentiam, quatenus ea quidem non tam in rebus quæritur, quàm in verbis. Ergò & hos Locos verborum ac phrasium intellige potius, & quæ huc similia pertinent, quàm rerum. Esse autem hi Loci debent ad manum, quotiescunque viri eloquentis scripta legenti occurrit aliquid, quod ad comparandam eloquentiam usui sit meminisse, nec passim obvium aut tritum. Nolim enim fatigari quæquam de-

scri-

scribendis iis, quæ jam exactissimè novit. Certa verò Locorum digesta in id proderunt, ut, ubi depromere sit opus, absque difficultate, quicquid usus postulat, modò semel annotaveris, reperias.

3. Ut summatim dicam, Communes hos Lo-^{Tres li-}cos in tres distribuo distinctos libros, quibus hæc ^{br.} nomina indo. Primus erit liber *Lexicus*; secundus *observationum*; tertius *formularum*. Quid inscribi singulis & quâ lege velim, exponent sequentia.

4. Lexicus liber ipsas singulas voces habet pro titulis, sic, ut nomina casu nominativo, verba ^{f.} præsentis indicativi primâ personâ exprimantur, ^{Liber} planè ut in Lexicis fieri amat. Commodius autem ^{Lexicus.} hîc videtur, eorum Lexicorum consuetudinem imitari, quæ compositis etiam ac derivatis novos titulos assignant, quæ est Calepini & Calvisii, quàm quæ ad radices certas omnia revocant. ut fecerunt Faber & Corvinus. Ita cuius voculæ demensum spacium attribuetur.

5. Ordinem verò fortuitum esse velim, ut ad eò Indice sit opus, cuius vicem facilè præstabit vel Calvisii Lexicon, vel Index in Januam Comenii, vel huiusmodi alius quis liber, dummodò vocabulis ibi per suum ordinem representatis paginam Lexici tui adscripseris. Nec verendum est valdè, ne multæ voces in Lexico tuo compareant, quæ apud Comenium vel Calvisium desiderentur, nisi Lexicon tuum fortè locupletare quoque velis è lectione scriptorum vel antiquita-

te ultimâ horridorum, vel barbarorum, (neque enim hâc lectione, licet alium longè usum habiturâ; interdico confirmatis, & scorias à metallo discernere jam valentibus.) Quòd si tamen huic etiam metui occurrere velis, licebit per indicem Comenii mundas paginas trajicere, quibus voces in eo desideratæ, si opus sit, inscribantur.

6. Subscribi autem titulis ea volo, quæ aliàs in bonum aliquod Lexicum conjicere fas est. Quæ quoniam & ipsa multorum sunt generum, distinguere hîc visum est in *voces, flexiones vocum, phrasés, epitheta, apposita, opposita, & differentias vocum.*

7. Circa *voces* singulas videndum, num qua se offerat rara, nobis antea ignota, aut novo elegantique sensu usurpata.

8. *Flexiones* voco, si v. g. in nominibus rarum aliquem casum aut gradum, in verbis rarum præteritum, supinum, participium repereris. Quamquam enim hæc talia systematibus quoque grammaticis inscribi possunt: habent tamen & in Lexicis locum.

9. In *phrasibus* præter constructionem illud imprimis spectandum est, num Latinæ Lingvæ puritas à Germanicâ hîc dissideat.

10. *Epitheta* voco non modò adjectiva, quæ substantivis, sed & adverbialia, quæque similem vim habentia verbis subserviunt.

11. *Appositorum* vocabulo non synonyma tantum comprehendo, sed cognata & affinia, dummodo ea disertè sibi copulaverit noster Scriptor.

12. Opus

12. *Opposita* quæ vocentur, ignorare nemo potest, qui Logicam didicerit. Atque huc refer etiam curam circa particulas in eo, cum observamus, quæ particulae à quibus excipi soleant. Est enim inter eas relatio quædam, seu oppositio relativa.

13. Neque *differentia* verborum quid sint, aut quibus conditionibus observari queant, latere cum potest, qui Aufonii Popmæ hoc titulo vulgatum, nec semel recusum librum diligenter inspexerit.

14. Quia verò similia similibus, epitheta v. g. epithetis, constructiones constructionibus aggregare utile est: juvabit certa cuius membro & signa præpingere, & attribuere spatiola, quâ in re tamen ordinem strictè observari necesse non est, sed ut quodque membrum se prius obtulerit, ita locum priorem sortiatur.

15. Signa ipsa pro lubitu sibi fingat quisque. Qui laborem excogitandi effugere volent, sequentibus utantur licebit. Esto ergò H. signum Homonymiæ; S. significationis; F. flexionis; P. Phræcos vel Constructionis; E. Epitheti; A. Appositi; O. Oppositi; D. Differentiæ vocum.

16. Etiam hoc addo, significationibus, phrasibus, differentiis vocum adjungenda interdum fore germanica, si res interpretationem desideret, & nostra nobis significantiora vel breviora videantur.

17. Admonebimus hîc aliquid de libro phra-

fium peculiari, sicubi fortasse talem sibi conficere quis ex usu suo esse putaverit. Quamquam enim phrasas ipsas Lexicus liber suppeditat: tamen nec aliter reperiendas suppeditat, nisi ubi latinam ipsam vocem teneas memoriâ; & à synonymis phrasibus sæpe disiectissimas. Quippe non rerum ordo est in libro Lexico, sed verborum. Cum verò & rerum ordine dispositas habere phrasas utilissimum sit, præstabitur hoc, si placebit, libro phrasium peculiari.

18. Concinnari is poterit eum in modum, quò elegantias (uti vocat) suas disposuit Calvisius. Est enim rerum ille index Calvisii latinus, apprimè bonus, atque talis, ut levi negotio in justas tabellas ordinari possit. Has ergò tabellas sibi confectas, & præterea in ordinem alphabeticum, (exiguus enim hic labor est,) reformatas, eloquentiæ studiosus pro indice phrasium libro anteponat, memoriæq; sic infigat, ut quicquid phrasium se obtulerit, cui titulo debeatur, ipsi ultrò veniat in mentem. Ita nihil nocebit, etiam titulos habere fortuito ordine dispositos, dummodo paginas singulorum indici utriusque ascripserit.

11.
Liber
observa-
tionum.

19. Sequitur de *Observationum* libro dicamus. In hunc jubeo convehere, quicquid ad verborum tum *copiam*, tum *collocationem* artificialem pertinere videbitur memoratu dignum. Neque enim necesse puto, ut hæc distrahantur in duos libros, sed seqvor hîc librum *Elegantiarum* Vogelmanni, ac similes libellos, qui utrumque conjungunt.
Suffi-

Sufficit observationes ipsas esse diversas, inter se-
quæ distinctas.

20. Non autem sequar talium libellorum scri-
ptores in eo, quod regulis suis, seu uti nos voca-
mus, observationibus interdum adjungunt ea,
quæ commodiorem habent in Lexicis aut phra-
sium libris locum. Nam ideò nos Lexicum li-
brum ab hoc observationum altero disjunctum,
esse volumus.

21. Etiam in eo ab istis scriptoribus discedam,
quod ipsi, si quam proferunt de verborum collo-
catione regulam, ea illi sola exempla subnectunt,
quæ consentanea sunt regulæ: cum tamen in con-
trariam partem sæpè liceat apud probatos autores
reperire non pauciora. Cujus quidem rei ratio
sita nonnunquam est in numeris oratoriis. Ita-
que mihi qui obsecundabit, exemplis regularum
hujuscemodi duplò plus spacii assignabit, ut alte-
ri spacio consentanea inscribantur, alteri dissen-
tanea. Id quod etiam in quibusdam titulis circa
copiam verborum observandum fuerit. Atque
evenit hîc quandoque, ut in eadem periodo in u-
tramque partem reperias exemplum.

22. Tituli in observationum libro duorum o-
mninò, quod è dictis intelligitur, futuri sunt ge-
nerum. Quidam enim ad *copiam* spectabunt *verbo-
rum*; alii ad *collocationem*, seu numerum oratoriũ.

23. Omnem de *copia verborum* doctrinam ad
septem fontes revocare possumus, qui sunt: (1)
synonymia, (2) commutatio, (3) æquipollentia,

(4) dilatatio, (5) tropi, (6) figuræ dictionis, (7) figuræ sententiæ. Quatuor priores in fundo quasi *Grammatica ac Dialectica* siti sunt; cæteros *Rhetorica* suppeditat.

24. Ad priores quatuor hæc ferè verba valent: Variatio, dilatatio, extensio, absorptio, unà cum figuris grammaticis.

25. *Variationum* plurima sunt genera. Quædam indicasse hîc sufficiat: Variatio per synonymiam, per casûs, per numeros, activi per passivum, indicativi per conjunctivum vel contrà, tertiæ personæ per primam vel secundam, personalis verbi per impersonale, adjectivi per substantivum, superlativi per comparativum sive solum, sive positivo aut superlativo junctum, contrarii per contrarium. His adjice omnes antimerias, heteroses, & enallagas.

26. Neque tamen omnia hujus generis operosè hîc describere svaserim, sed illustriora: ea præcipuè, in quibus germanica nostra dissident à latinis, (quem in finem utile fuerit bonos autores legentem de germanicâ versione statim cogitare,) puta, v. g. cum latini pluralem adhibent, nos singularem; cum illi conjunctivo utuntur, nos indicativo, aut contrà: & quæ sunt his similia.

27. E *Dilatationibus* supervacaneum est huic libro inseri Dilatationes per epitheta aut adverbia. Licebit enim ex libro *Lexico* hæc depromere cum usus fuerit. Inserantur ergò imprimis dilatationes per circumstantias, per asseverationem, per

per relationem ad intellectum vel sensum, ad voluntatem vel appetitum.

28. *Extensio* ipsa figuram quandam habet dilatationis. Et hinc maxime observanda sunt verba, quæ extensioni inserviunt, qualia sunt: *volo, possum, do*, ac similia, e. g. velle aliquem mulctatum, pro mulctare. Dare expeditum pro expedire.

29. Extensioni contraria est *Absorptio*. Voco verò absorptionem, cum mutatio constructionis, v. g. modi finiti in infinitum, aut participium vel gerundium, particulam aliquam abolevit, ut resolutio, vel etiam germanica versio docebit. Atque erunt imprimis illarum absorptionum exempla mandanda literis, quæ à lingvâ nostrate respuuntur, qualis est e. g. ille per duos ablativos consequentiæ. Sit exemplum vulgare: Imperante Augusto Christus natus est. Verte: Da Augustus regierte/ Latinè: cum imperaret Augustus. Est ergò absorptio particulæ *cum vel quando*.

30. Cavendum hinc, ne absorptionem cum *ellipsi* confundas. Discrimen in eo est: si quid per ellipsin est omissum, adungere quod omissum est, reliquorum ne apice quidem mutato, sermonem grammaticè non vitiat. Verùm absorptam particulam sic adungere velle, labem orationi infert. Repetamus exemplum superius, sed ellipsi affectum: *Imperante Augusto Christum natum constat*. Habes hinc & absorptionem particulæ *cum*, & ellipsin verbi *esse*. Adde hoc verbum, nihil peccat hoc oratio: Imperante Augusto Christum

natum esse constat. Adde particulam, peccabitur si dicas : *Cum* imperante Augusto Christum natum constat.

31. Quod de absorptione & ellipsi dictum, mutatis mutandis quadrabit & in *extensionem* ac *pleonasmum*. Habet enim se ut ad Ellipsin absorptio, sic ad pleonasmum extensio.

32. Eruntque adeo & ellipses ac pleonasmus huic libro inscribendi, quarum figurarum exempla haud pauca demonstrabit collatio versionis in vernaculam.

33. Sed hic monendum, ut duplum spatii (pro ellipsis praecipue) relinquatur, quo exempla etiam contraria queant annotari.

34. De fontibus copiae, quos ars Rhetorica subministrat, vel qui à tropis ac figuris tum dictionis, tum sententiae deducuntur, nihil hic moneri à nobis est necesse, nisi ut singulis tropis ac figuris peculiaris assignetur titulus.

35. Haec de observationibus ad copiam spectantibus. Reliqua est altera classis earum, quae numero oratorio inserviunt, seu collocationi verborum. Horum generales ac praecipui tituli sunt : divulsio, interpositio, antepositio, postpositio.

36. *Divulsionem* voco, cum voces, quas ordo naturalis conjungi postulabat, aliis interpositis dirimuntur, v.g. adjectivum à substantivo, substantivum à genitivo alterius substantivi, verbum ab infinitivo, quem regit, & sic in aliis, quibus syntacticae regulae mutuum dant nexum. Ad divulsionem revocabitur & *imesis*.

37. *In-*

37. *Interpositio* instrumentum quasi divulsio-
nis est, duplexque constitui potest. Aut enim vox
tantum una vel altera interponitur, aut integrum
comma, vel etiam quasi periodus.

38. Per commatis interpositionem non hinc il-
lud intelligo, quod parenthesis vocare solemus,
cujus signa in typographis duæ lunulæ sunt ob-
versis cornibus. Ac possunt quidem & venustio-
rum parenthesis exempla colligi peculiari titu-
lo: verum titulus, *Interpositio commatis integri*
ea tantum exhibeat exempla, quæ nullum poscunt
signum parenthesisos.

39. *Interpositio* unius tantum alteriusve vocu-
læ, quæ fit salvo commate, varia esse potest ex va-
rietate partium orationis. Sed speciali curâ con-
venit eas interpositiones annotari, quæ præter
cæteras habent non parum venustatis, qualis est
interpositio pronominum primitivorum, & par-
ticularum quarundam certi generis.

40. *Antepositio* est, cum vox, quæ vi constru-
ctionis syntacticæ sequi debebat, antecedit, ut si
adjectivum anteponas substantivo, verbum nomi-
nativo, & sic in aliis. Species antepositionis est
anastrophe.

41. Jam antepositio nulla sine *postpositione* fie-
ri potest, ut adeo tituli quidem duo esse queant,
exempla utrobique eadem. Antepositum v. g. adje-
ctivum substantivo id ipsum innuit, quod post
positum substantivum adjectivo. Verum non id
volo, ut eadem exempla bis describantur. Eligat

in

in his talibus titulum sibi è duobus quisque uter placuerit magis, eumque seruet constanter, & infigat memoriæ.

42. Juvabit tamen certis quibusdam observationibus postpositionis potius indere titulum, quam antepositionis, ut cum pronomen relativum, aut conjunctio aliqua, (v. g. causalis *ut*,) quæ inchoare comma debebat, adeoque cæteris vocabulis anteponi, secundo demum, aut tertio loco ponitur, vel etiam in extremum ferè commatis locum rejicitur.

43. Cæterum ad hoc genus observationum, quæ ad collocationem verborum seu numerum spectant oratorium, etiam illas revocabis, quæ circa juncturam, ordinem, periodum se offerunt: ut quod periodus alia verbo, alia nomine inchoatur, clauditurve, & sic in aliis.

44. Nulla autem ferè in hoc genere observatio est, quæ non duplex spatium flagitet pro exemplis: unum, cui consentanea, alterum cui dissentanea inscribantur. Atque hîc imprimis velim ab eloquentiæ studioso non minus diligentia impendi in colligendis dissentaneis quam consentaneis.

45. Hoc enim certè talium libellorum scriptoribus deesse supra n. 21. quæsti sumus, suntque hanc ipsam ob causam gravi censurâ excepti à Jacobo Lodoico Strebeo lib. de verb. elect. & colloc. cap. 4. & effecerunt iidem hoc pacto, ut non modò juvenes, sed ipsi sæpe Præceptores crederent, elegantias illas nullibi mutandas, hoc est, eadem
chor-

chordâ ubiq; oberrandum esse. Præpositiones inter Adjectivum & Substantivum eleganter poni observant scriptores Elegantiarum. Id elegans esse, alicubi si fiat, fateor, si semper, nego. Est & ubi negligere hanc regulam elegantia est. Id autem opinor non aliter commodius discetur, quàm ubi & neglectæ regulæ crebra in promptu habeas exempla. Nam Strebei, quem modò nominabamus, via difficilior est, & insuavior. Perpoliendi sunt elegantiarum isti libelli, non planè excutiendi è manibus studiosorum, quod volebat Strebeus.

46. Ultimus liber *Formularum* est. In hunc suis disposita titulis conjiciemus exempla formularum, tum quæ communes sunt epistolis atque orationibus, tum quæ cuique generi sunt propriae. III.
Liber
formu-
larum

47. *Propriae* epistolis formulæ sunt, v. g. salutandi, valedicendi, petendi frequentiam literarum, petendi veniam scriptionis ad ignotum, & aliæ plures. *Propriae* orationibus: petendi attentionem, benevolentiam in audiendo & similes.

48. *Communium* quoque titulorum ingens est copia. Ut quosdam tantùm nominemus, tales formulæ sunt: laudandi vel vituperandi personas pro variis earum qualitatibus; describendi res & actiones cujusque generis; svadendi ab honesto, utili, jucundo, possibili, facili, necessario; dissvadendi ab horum contrariis; adhibendi \int C civilitatis, modestiæ, severitatis, gravitatis; declarandi affectum lætitiæ, spei, timoris & alios; movendi eosdem affectus. *Declarandi* vocem adhibeo, cum quis ipse affectum suum exprimit, mo-

ven-

vendi, cùm id agit, ut in altero affectum gignat. Jam neq; movemus tantùm aliis affectûs, sed & motos sedamus. Quare & sedandi vox adhibenda in his titulis fuerit. Certis autem vocabulis generalibus assuefacere se, quæ non temerè mutantur, & animo quoties opus est recurrant, pars artis est.

46. Etiam in hunc librum refero formulas attribuendi, vel removendi, tam æqualiter quàm inæqualiter, & si quæ plura sunt talia. Etenim ab his, quæ posuimus, titulorum exemplis iudicium quoque fieri poterit de iis titulis, quos omisimus, cùm sit eorum ingens numerus. Quod facile intelliget, qui Keckermanni systema Rhetoricum inspiciet p. 659. & seqq. item p. 698. & seq. Ac poterunt illi ipsi tituli, quos descripsit Keckermannus, inservire illis, qui aliàs in hoc genere destituuntur vivo Manuductore.

50. Titulis ita positis subscribantur formulæ ipsæ, additâ paginâ auctoris. Quæ si prolixiores fuerint, aut refecentur quædam, signo tamen refectiois appposito, aut in breviora verba, (licet ea forte nostra potius quàm auctoris futura sint,) contrahatur eorum inventio. Est enim hic liber non modò verborum, sed etiam aliquo modo rerum. Et in arte tam prolixâ compendia sectari fas omnino fuerit.

51. Ut totum de tribus communium locorum libellis consilium capi rectiùs possit, subjiciemus exemplum qualecunque faciendi excerpta, & eos in libros digerendi. Cui rei pro materiâ inserviat

sequens

Episto-

Epistola Plinii secundi,
 quæ est octava lib. VII. p. m.
 273. inscripta Prisco.

*Exprimere non possum, quàm jucundum sit mihi,
 quòd Saturninus noster summas tibi apud me grati-
 as illis super alias Epistolis agit. Perge, ut cepisti,
 virumq; optimum quàm familiarissimè dilige, ma-
 gnam voluptatem ex amicitia ejus percepturus, nec
 ad breve tempus. Nam quùm omnibus virtutibus
 abundet, rùm hâc præcipuè, quòd habet maximam
 in amore constantiam. Vale.*

Excerpti ergò hinc poterunt, & inscribi

quæ sequuntur:

LIBRO LEXICO:

Tit: Exprimo.

H. Aussprechen. Exprimere non possum: ich kan nicht
 aussprechen. Plin. VII. Ep. 8. (NB. citatio hac & in ce-
 teris repetenda.)

Apud.

H. gegen. Summas tibi apud me (gegen mich) gratias
 epistolis agit.

Super.

H. pòst. Aliis super alias epistolis. Sic & germanicè lo-
 quimur: in einem Briefe über den andern. Ita locutus &
 Livius lib. 30. alio super aliud scelere. (NB. Possis & re-
 ferre ad titulum: Alius, ut feci in particulis Turcellipia-
 nis p. 26.)

Diligo.

E. quàm familiarissimè.

Voluptas.

Φ. Voluptatem percipere (Lust schöpfen) ex amicitia,

Ad.

H. auff. Ad brevis tempus: auff eine kleine Zeit.

[L I.]

LIBRO OBSERVATIONUM.

Variatio superlativi per positivum solum.

Exprimere non possum, quàm *jucundum* sit mihi : pro :
jucundissimum est mihi.

Absorptio particulae tunc in participio.

Perge, ut cœpisti, - magnam voluptatem - percepturus :
pro : *tunc* (vel &) magnam voluptatem percipies : so wirst
du grosse Lust haben.

Ellipsis particulae quidem.

Magnam voluptatem percepturus, nec ad breve tempus
(*quidem*.) und zwar nicht eine kurze Zeit.

Divulsio adjectivi à substantivo.

Summas tibi apud me *gratias* alis super alias *epistolis*
agit. Habet *maximam* in amore *constantiam*.

* Exempla contraria : *Saturninus* noster ; *virumque*
optimum ; *magnam voluptatem* ; *ad breve tempus*.

NB. Exempla antepositionum, postpositionum, periodis
verbo vel inchoata vel finita, ac similia brevitate studio
omitto.

LIBRO FORMULARUM.

Declarandi lætitiã.

Exprimere non possum, quàm *jucundum* sit mihi quod -.

Hortandi.

Perge, ut cœpisti, *virumque* optimum -.

Svadendi à jucundo.


Perge, - magnam voluptatem percepturus, nec ad bre-
ve tempus.


Laudandi à speciali quadam virtute.


Nam quùm omnibus virtutibus abundet, tùm hãc præ-
cipuè, quòd habet *maximam* in amore *constantiam*.


F I N I S.











Ung IV A 98


ULB Halle 3
001 956 124



Sb.

1077

2



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

5
1
THOMASII
ta
RICA
tibus.
cis Com-
e Studiofo
ior & Cor-
Elect. Saxon.
ICI FROMMANNI,
OLERI.